



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera**

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;  
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

**Gregor <I., Papst>**

**Lutetia Parisiorum, 1675**

Sancti Gregorii Moralis Expositionis In Beatum Job Liber Octavvs.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74915)

S AN C T I G R E G O R I I  
M O R A L I S E X P O S I T I O N I S  
I N B E A T V M J O B  
L I B E R O C T A V V S.

*Quod vere humiles in perferendis malis patientiam, in repetendis bonis exercent benignitatem.*

CAPUT PRIMUM.

**P**RÆCEDENTI jam libello tractavimus, quod beatus Job vim nobis humilitatis suæ innotescit, dicens: [*Super pupillum irritis, & subvertere nitimini amicum vestrum.*] Quanta namque infirmitatis se perpendat, insinuat, quem pupillum vocat: Quia verb ab amore recedere charitas etiam læsa nescit, & subverti velle se queritur, & tamen amicum se esse testatur. Cujus verba, ut sæpe jam diximus, sic eidem specialiter congruunt, ut tamen per hæc propheticum spiritum etiam sententia fidelis populi, ex voce Ecclesiæ universalis, exprimat: qui hereticorum contrarietatem tolerans, & infirmum se per humilitatem conspicit, & tamen à servandæ dilectionis magnitudine non recedit. Sancta quippe Ecclesiæ populus, quia mortui patris est filius, pupillus non incongrue dicitur: cujus resurgens vitam jam quidem per fidem sequitur, sed necdum per speciem contemplatur. Super pupillum verb heretici irruunt, cum humilitatem fidelis populi importunis falsisque allegationibus affligunt. Et tamen amicus est, quem nititur evertere: quia fidelis Dei populus ipsos quoque, quos persequentes tolerat, amando non desinit ad veritatem vocare, Sed inter hæc sciendum est, quia sancti viri nec sustinere falsa per infirmitatem metuunt, nec læsi umquam à veritate conticescunt. Unde subditur: [*Verumtamen quod cœpistis, explete: prabete autem, & videte an mentiar.*] Qui enim adversa perpeti non timet, dicat: [*Verumtamen quod cœpistis, explete.*] Qui verbò ipsi suis persecutoribus veritatis prædicamenta non subtrahit, adjungat: [*Prabete autem, & videte an mentiar.*] Ac si aperte diceret: Nec ante illatas molestias trepido, nec ingratis auditoribus correptionis adjutoria abscondo: quia & malis pressus exerceor, & ipsi meis persecutoribus benigne impensus cresco. Mens quippe Sanctorum in hoc tentationum prælio & munita patientiæ clypeo, & gladii amoris accincta, ad perferenda mala sumit fortitudinem; & ad rependa bona \* exercet benignitatem, quatenus & odiorum tela potenter excipiat, & amoris jacula valenter reddat. Nequaquam quippe ad bella armatus pergit, qui aut clypeum sumens, gladii non utitur: aut utens gladii, clypeo non munitur. Unde & miles Dei, adversitatis bello deprehensus, & scutum patientiæ debet anteferre, ne pereat: & ad prædicandum promptus amoris inferre jacula, ut vincat. Cujus armaturæ summam Paulus breviter insinuat, dicens: *Charitas patientis est, benigna est.* Cum verbò unum ex utroque defuerit, charitas non est; si videlicet malos aut absque benignitate tolerans, non amat, aut rursus se sine patientia exhibens, negligit tolerare quos amat. Ut ergo à nobis charitas vera teneatur, necesse est quatenus

\* al. exc. sit.

1. Cor. 13

**A** & benignitati patientia, & rursus patientiæ benignitas suffragetur: ut magnum quoddam in corde nostro adificium construens, & benignitatis arcem patientia solidet, & patientiæ fundata adificia benignitas exornet. Beatus igitur Job promptus ad patientiam dicat: [*Verumtamen quod cœpistis explete.*] benignitate præditus adjungat: [*Prabete autem, & videte an mentiar.*] Quia verbò sancta Ecclesia ex magisterio humilitatis instituta, recta quæ errantibus dicit, non quasi ex auctoritate præcipit, sed ex ratione persuadet, bene nunc dicitur: [*Videte, an mentiar.*] Ac si aperte dicat: Ea quæ assero, nequaquam mihi ex auctoritate credite: sed an vera sint, ex ratione pensare. Quæ & si quando dicit quod ratione comprehendi non valet: ne de occultis humana ratio quæri debeat, rationabiliter suadet.

*Quod scientia tumida in inquisitionibus suis non veritatem inquirat, sed gloriam: ideoque contendans superbi ut vincant, non ut discant.*

CAPUT II.

**S**ED sæpe heretici, dum occasionem ratiocinationis accipiunt, ad jurgia contentionis effrenantur. Unde & aptè mox subditur: [*Respondete quasi absque contentione.*] Neque enim heretici inquisitionibus suis veritatem conantur assequi, sed victores videri. Cumque foris videri sapientes appetunt, intus per stultitiam elationis suæ vinculis ligantur. Unde fit, ut contentionum certamina exquirant, & de Deo, qui pax nostra est, loqui pacifice nesciant, atque ex pacis negotio rixæ inventores fiant. Quibus bene per Paulum dicitur: *Si quis autem videtur esse contentiosus, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Rectè autem subditur: [*Et loquentes id quod justum est, judicate.*] Is namque qui loquitur, dum de verbis suis auditoris sententiam expectat, quasi ejus judicio supponitur, à quo auditur. Qui igitur in dictis suis reprobari metuit, ipse prius debet examinare quod dicit: quatenus inter cor & linguam æquus quidam discretusque arbiter sedeat, subtiliter pensans, si recta verba cor offerat: quæ utiliter suscipiens, ad auditorum judicium lingua perducatur. Beatus igitur Job sua contra amicos agens, sed contra hereticos nostra denuncians, præcipationem loquentium reprehendat: atque ad eorum mentem verba \* recolat, dicens: [*Loquentes id quod justum est, judicate.*] Ac si aperte diceret: Si in eo quod ad nos egressum locutionis exitis, reprehendi non vultis, intus justitiæ libram tenete: ut tantò foris quod dicitur, ex veritatis pondere placeat, tantò hoc interius trutinæ discretionis pensat. Et quia hi erga aliena dicta rectum judicium exerunt, qui judicare prius propria sciunt, postquam dixit: *Loquentes id quod justum est, judicate;* aptè mox subdit: [*Et non invenieris in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitiâ perhorabit.*] Ac si aperte diceret: Si subtilius vestra perpenditis, verius aliena pensa-

21

1. Cor. 11

c

\* al. re.

colligat.

gat.

tis : & cum rectum ceperit esse quod dicitis, justum cognoscetis quod auditis. Nequaquam quippe mea vobis lingua stultitiam resonat, si à vestra conscientia non procedat. Sic sancta Ecclesia studet prius assertiones hostium falsas ostendere, & tunc prædicamenta veritatis aperire : quia cum recta se tenere aestimant, recta quæ audiunt, contumaciter impugnant. Ante ergo necesse est, ut errorem suum hæretici sentiant, ne audita veritati contradicant : quia etsi camporum sentes arator vomeris scissione non eruit, terra accepta semina in fegetes non producit : & cum putredinem medicus vulneris apertione non ejicit, nequaquam in loco putredinis sana caro coalescit. Prius ergo perversa destruens, dicat : [ *Loquentes id quod justum est, iudicate :* ] potest autem recta insinuans adiungat : [ *Et non invenietis in lingua mea iniquitatem.*

A *nec in faucibus meis stultitia personabit.* ] Solent autem hæretici alia apertè dicere, alia occultè sentire. Per linguam quippe aperta locutio, per fauces verò occulta tractatio designatur. Sanctæ ergo Ecclesiæ nec in lingua iniquitas, nec stultitia in faucibus resonat : quia ea quæ per publicam locutionem prædicat, etiam per intimam fidem servat : nec in apertè aliud docet, atque in occultis aliud retinet : sed & quod sentit, loquendo docet ; & quod loquitur, vivendo custodit : ac de sapientiæ supernæ conviviò quicquid per linguam prædicationis emanat, hoc per fauces tacitæ expectationis degulstat. Sed beatus Job, unum scilicet membrum universalis Ecclesiæ, sua insinuans, atque electorum omnium corda manifestans, omne quod sentit, aperiat : ut mentis ejus rectitudinem attestatio locutionis innotescat. Sequitur :

C A P.  
VII.

**M**ilitia est vita hominis super terram : sicut dies mercenarii, dies eius. Sicut servus desiderat umbram, & sicut mercenarius præstatur finem operis sui : sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeravi mihi. Si dormiero, dicam : Quando conflagram ? & rursum expectabo vesperam, & replebor doloribus usque ad tenebras. Induta est caro mea putredine, & sordibus pulveris cutis mea aruit, & contracta est. Dies mei velocius mea putredine, quam à texente tela succiditur, & consumpti sunt absque ulla spe. Memoro quia ventus est vita mea, nec revertetur oculus meus ut videat bona : nec aspiciet me visus hominis. Oculi tui in me, & non subsistam. Sicut consumitur nubes, & pertransit : sic qui descendit ad inferos, non ascendet, nec revertetur ultra in domum suam ; neque cognoscat eum amplius locus eius. Quapropter & ego non parcam ori meo, loquar in tribulatione spiritus mei, confabulabor cum amaritudine anima mea. Numquid mare ego sum, aut cæcus, quia circumdediti me carcere ? Si dixerò, Consolabitur me lectulus meus, & relevabor loquens mecum in stratu meo : terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties. Quamobrem elegit suspensum anima mea, & mortem ossa mea. Desperavi, nequaquam ultra iam vivam. Parce mihi Domine, nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magnificas eum ? aut quid apponis erga eum cor tuum ? Visitas eum diluculo, & subito probas illum. Usquequo non parcis mihi, nec dimittis me, ut glutinam salivam meam ? Peccavi : quid faciam tibi o cussos hominum ? Quare me posuisti contrarium tibi, & factus sum mihi metipso gravis ? Cur non tollis peccatum meum, & quare non auferis iniquitatem meam ? Ecce nunc in pulvere dormiam : & si manè me quesieris, non subsistam.

*Quod vita hominis vitii oppressa, ad caeleste desiderium tendere non valet : & aliquando donis spiritualibus prædita, ex occasione virtutum deterius peccat.*

### CAPUT III.

**M**ilitia est vita hominis super terram. ] Hoc in loco translatione veteri nequaquam militia vita hominis nuncupatur, sed tentatio. Sed si utriusque verbi sensus aspiciatur, diversum quidem est quod exterius resonat, sed unum eundemque concorditer intellectum format. Quid enim nisi pugna contra malignos spiritus, nomine tentationis exprimitur ? Et quid appellatione militiae, nisi contra hostes exercitium designatur ? Tentatio itaque ipsa militia est, quia dum contra malignorum spirituum insidias vigilat, in bellorum prociatu proculdubio exsultat. Notandum verò, quod hæc eadem vita hominis non tentationem habere dicitur, sed ipsa tentatio esse perhibetur. Sponte quippe à statu conditionis lapsa, & corruptionis suæ putredini subdita, dum sibi ex semetipsa molestias gignit, hoc est jam facta quod tolerat. Quia enim statum mentis inclinata deseruit, quid in se nisi motum varietatis invenit ? Unde nunc etsi ad summa appetenda se erigit, mutabilitatis lubricæ impulsu protinus ad semetipsam cadit. Vult in contemplatione stare, sed non valet. Cogitationis gressum figere nititur, sed infirmitatis suæ lapsibus enervatur. Quæ nimirum mutabilitatis suæ onera quia volens expetiit, nolens portat. Quietus homo possidere carnem potuit, si bene ab auctore conditus, possideri voluisset. Cumque se erigere contra conditorem stu-

B duit, in semetipso protinus carnis contumelias invenit. Sed quia cum culpa simul ab origine etiam poena propagatur, inserto infirmitatis vitio nascimur : & quasi nobiscum hostem deducimus, quem cum labore superamus. Ipsa ergo hominis vita tentatio est, cui ex semetipsa nascitur unde perimatur. Quæ etsi semper ex virtute succidit, quod ex infirmitate generat : semper tamen ex infirmitate generat, quod ex virtute succidat. Sic itaque humana vita tentatio est : ut etsi jam ab iniquitatis perpetratione compefcitur, in ipsis tamen bonis operibus modò malorum memoria, modò seductionis caligine, modò intentionis suæ interruptione fulcetur. Alius namque à luxuria carnem jam refrænat, sed tamen adhuc luxuriæ phantasmata tolerat : quia quæ valens fecit, horum invitus meminit : & poenam sustinet, quod voluptatem putavit. Quia verò ad devictam culpam retrahi metuit, ventrem miræ abstinentiæ vigore restringit, vultusque ex abstinentia pallescit : cumque in facie pallor aspiciatur, reverenda ab hominibus vita laudatur : moxque inanis gloria ad abstinentis animum cum verbis favoris venit, quam concussa mens dum subijcere non valet, eum per quem venerat, tergere à facie pallorem quærit : sicque fit ut infirmitatis nexibus ligata, aut pallorem abstinentiæ fugiens, iterum per alimenta subdi luxuriæ metuat : aut impulsam luxuriæ per abstinentiam superans, pallorem suum inani gloria militare pertimescat. Alius lapsus superbiæ superans, toto jam desiderio statum humilitatis apprehendit : cumque superbientes quosdam usque ad oppressionem innocentium erumpere conspicit, zeli excitatione succensus, postponere aliquatenus cogitur quod decrevit, vim rectitudinis

exerit, pravisque non mansuetudine, sed auctoritate contradicit. Unde plerumque fit, ut aut humilitatis studio zelum rectitudinis deserat: aut rursus zelo rectitudinis turbet humilitatis studium, quod tenebat. Cumque servari simul & zeli auctoritas, & propositionis humilitas non possit, sibi metipsum homo ex perturbatione incognitus redditur: ita ut vehementer ambigat, ne apud seductum animum aut superbia se auctoritatem zeli insinuet, aut torpor pavidus humilitatem fingat. Alius quanta sit fallacia culpa considerans, munit se arcē veritatis decernit: ut ex ore ejus jam falsus sermo non prodeat, seseque funditus à mendacij transgressione disjungat. Sed fit plerumque, ut cum verum dicitur, vita proximi gravetur: cumque ingerere alteri lationem metuit, ad hoc quod dudum presserat fallacia vitium, quasi ex studio pietatis redit: sicque fit, ut etsi malitia mentem non teneat, in ea tamen veritatis radiū umbra mendacij obscurat. Unde & sepe quia percontatus quisque conticescere non valet, aut falsum dicens, suam mentem trucidat, aut vera loquens, proximi vitam gravat. Alius amore conditoris sui excitatus, à terrenis cogitationibus mentem curat assidua oratione suspendere, atque hanc in secreta quietis intima securitate collocare: sed in ipso suae orationis ascensu, dum elevari ab infimis nititur, infimorum phantasmate reverberatur: atque ad intuendam lucem mentis oculus tenditur, sed ex corporeo usu, surgentibus oculis rerum imaginibus obscuratur. Unde fit plerumque, ut intendentis animus ipsa sua infirmitate fatigatur, aut orationem deserens, desidia torpeat: aut si diu in oratione permanerit, ante oculos ejus obortarum imaginum caligo densescat. Bene ergo dicitur: [*Tentatio est vita hominis super terram.*] quando ibi quoque reatum descensionis invenit, ubi se profectum comprehendere ascensionis putavit: & inde mens confunditur, unde surgere à confusione nititur: ut per hoc ad semetipsam diverberata redeat, per quod semetipsam jam collecta & coadunata transibat. Iste ab eruditione divinae legis alienus, ignorantia sua deprimitur, ne quid obtinenda salutis operetur. Ille divinae legis scientia praeditus, dum sibi praeter ceteris gaudet intellectum suppetere, quia privato gaudio exultat, percepti intellectus in se munera dissipat: & inde in Dei judicio ceteris deterior exhibetur, unde clarior ceteris ad tempus ostenditur. Hunc quia virtutum dona non sublevant, etiam viam simplicem rectitudinis declinat: & velut extraneum se à caelesti munere deputans, eò quasi securius prava agit, quò superni doni sublimia munera non percepit. Illum prophetiae spiritus replet, & ad praescientiam sublevat, eique ventura quaeque quasi jam praesentia ostendit. Sed dum saepe & in multis super semetipsum tollitur, ut futura veraciter contempletur: mens in sui confidentiam deducta, eum qui haberi semper non potest, semper sibi adesse prophetiae spiritum aestimat: cumque omne quod senserit, prophetiam putat, quia sibi hanc & cum non habet tribuit, & in quantum habere potuit, amittit. Sicque fit, ut inde post aliorum merita tristis redeat, unde aestimatione omnium laetus praebat. Tentatio est ergo vita hominis super terram: quae aut aliena à virtutibus ad caeleste praemium surgere non valet, aut ditata donis spiritualibus aliquando deterius ex occasione virtutum ruit. Quia autem paulò superius hoc esse tentationem quod militia diximus: sciendum summopere est, quòd quiddam nobis appellatione militiae amplius quam nomine tentationis innuitur. Hoc namque nostro intellectui expressione militiae augetur, quòd nimirum per militiam ad finem quotidie tenditur: cumque per ordinem militiae locus crescit, tota simul hominum militia deficit. Militia ergo est vita

A hominis super terram: quia sicut & superius diximus, unusquisque dum quotidie ad vitam terminum per temporum augmentum tendit, augendo vitam, vivere desinit. Dies quippe expectantur, ut veniant: sed cum ad augmentum vitae veniunt, jam ab augmento vitae subtrahuntur: quia & itinerantis gressus dum in anteriora proficit, quod restat iter decrescit. Vita ergo nostra militia est, quae quo ad augmentum ducitur, eo ut non sit, finitur. Bene igitur dicitur: [*Militia est vita hominis super terram.*] quia dum per spatia temporum crescere appetit \* ad eorum spatium, quod perdendo colligit, crescendo pertransit. Unde & apte quoque ipse militiae cursus exprimitur, cum protinus subinfertur: [*Et sicut dies mercenarij, dies ejus.*] Dies suos mercenarius evolvi citius exoptat, ut ad laboris sui praemium sine tarditate perveniat. Dies itaque hominis vera & aeterna sapientis, rectè mercenarij diebus comparantur, quia praesentem vitam, viam non patriam, militiam non palmam deputat: & eò se abesse longius à praemio conspiciat, quò tardius ad finem venit. Considerandum quoque est, quòd mercenarius in alienis laboribus exsudat: sed tamen sibi praemium proprium praeparat. Voce autem Redemptoris nostri dicitur: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Omnes ergo qui spe caelestium praediti, exercitio vitae praesentis atterimur, in alieno laboramus. Nam saepe & reprobis servare cogimur: mundo, quae mundi sunt, reddere coartamur: & alieno quidem labore fatigamur, sed tamen praemia nostra percipimus: & per hoc pervenimus ad propria, quòd purè ministramus aliena. Quò contra quibuldam Veritas dicit: *Si in alieno fideles non fuistis, quòd vestrum est, quis crederet vobis?* Sciendum quoque est quòd mercenarius sollicitè curat inspicere ne umquam dies vacuus labatur ab opere: & expectatus finis temporis, ne inanis veniat ad remunerationem. In laboris namque studio conspiciat, quid percipere in tempore remunerationis possit. Nam cum opus crescit, praemii fiducia proficit: cum verò opus torpuerit, spes à remuneratione lassescit. Unde & electus quisque vitam suam quasi mercenarij dies pensans, tantò fidentiùs spe tendit ad praemium, quantò nunc robustius perdurat ad laboris incrementum. Qui sit decursus praesentis temporis pensat, dies cum operibus numerat; ne à labore vacua transeat vitae momenta, formidat. Adversis gaudet, passione reficitur, mœrore refovetur: quia subsequens vitae praemii tantò seremunerari largiùs conspiciat, quantò pro amore illius quotidianis se moribus veriùs impendit. Hinc namque est, quòd cives supernae patriae conditori ejus Psalmistae vocibus dicunt: *Propter te morie afficimur tota die.* Hinc Paulus ait: *Quotidie morior propter gloriam vestram, fratres.* Hinc iterum dicit: *Ob quam causam hac patior, sed non confundor: scio enim cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem.* Sancti igitur viri quot labores nunc veritati commendantes exhibent, tot jam remunerationis suae ignora, intra spei cubiculum clausa tenent. Sed \* gravius nunc sentitur aestus in opere: ut quandoque refrigerium percipiatur ex quiete. Unde & aptè mox subditur:

*Quòd sancti viri ex conscientia bona vitae, fidenter expectant praemium retributionis aeternae.*

#### CAPUT IV.

*Sicut servus desiderat umbram, & sicut mercenarius praesolatur finem operis sui: sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeravi mihi.] Umbram quippe servo desiderare: est post tentationis aestum, sudoremque operis: aeterni refrigerij requiem quaerere. Hanc namque umbram servus ille desiderat.*

Ps. 41. a desideraverat, qui dicebat: *Sivivis anima mea ad Deum vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Et rursum: *Hec me, quia incolatus meus prolongatus est. Qui quasi à labore agri æstum fugiens, atque ad obtinendam requiem refrigerij, tegmen quærens, iterum dicit: Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.*  
 Phil. 3. d Hanc umbram comprehendere Paulus anhelabat, desiderium habens dissolvi, & cum Christo esse. Ad hanc umbram ex desiderij jam perfectione pervenerant qui dicebant. *Nos qui portavimus pondus crucis & æstus.* Bene autem qui desiderare umbram dicitur, servus vocatur: quia electus quisque quousque infirmitatis conditione confringitur, sub dominantis corruptionis jugo, quasi sub æstus anxietate retinetur. Qui nimirum cum corruptione exutus fuerit, tunc sibi metipsum liber & tranquillus innotescit. Unde & rectè etiam per Paulum dicitur:  
 Rom. 8. d *Ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis, in libertatem gloria filiorum Dei.* Electos enim nunc pœna corruptionis aggravat, sed tunc incorruptionis gloria exaltat: & quantum ad præsentis necessitatis pondera, nunc in Dei filij de libertate nihil ostenditur: tantum verò ad subsequens libertatis gloriam, tunc in Dei famulis de servitute nihil apparebit. Creatura ergo servitute corruptionis exuta, & dignitate liberalitatis accepta, in filiorum Dei gloriam vertitur: quia unita Deo per spiritum, quasi hoc ipsum, quod creatura est, transiit ac subegisse declarat. Sed qui adhuc umbram desiderat, servus est: quia quousque æstum tentationum tolerat, jugum miseræ conditionis portat. Ubi aptè subditur:

*Quod spes remunerationis alleviet pondus laboris.*

#### CAPUT V.

**E**T sicut mercenarius præstolatur finem operis sui. Mercenarius etenim cum facienda opera conspiciat, mentem protinus ex longinquitate & pondere laboris addicit: cum verò lassescens animus ad considerandum operis præmium revocat, vigorem mox animi ad exercitium laboris reformat: & quod grave perpendit ex opere, leve existimat ex remuneratione. Sic electi quique dum mundi hujus adversa patiuntur, cum inhonestates, contumelias, rerum damna, cruciatus corporis tolerant, esse gravia quibus exercentur pensant: sed cum mentis oculos ad æternæ patriæ considerationem tendunt, ex comparatione præmij, quam sic leve quod patiuntur, inveniunt. Quod enim valde esse importabile ex dolore ostenditur, consideratione provida ex remuneratione levigatur. Hinc est, quod Paulus semper seipso robustior contra adversa erigitur: quia nimirum finem sui operis sicut mercenarius præstolatur. Grave namque quod sustinet æstimat: sed leve hoc per præmij considerationem pensat. Ipse quippe quam sit grave quod patitur indicat, qui in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter se fuisse testatur: qui à Judæis quinquies quadragenas unâ minus accepit: qui ter virgis cæsus, semel lapidatus est, ter naufragium passus, nocte & die in profundo maris fuit: qui pericula fluminum, latronum, ex genere, ex gentibus, in civitate, in solitudine, in mari, in falsis fratribus pertulit: qui in labore & ærumna, in jejuniis multis, in fame & siti, in frigore & nuditate laboravit: qui foris pugnas, intus timores sustinuit: qui ultra vires gravatum

2. Cor. 1. se asserit, dicens: *Supra modum gravatum sumus supra virtutem, ita ut taderet nos etiam vivere.* Sed quomodo remunerationis linteo sudores tanti

Rom. 8. laboris tergat, ipse denunciatur, dicens: *Non sunt condigne passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Finem itaque operis, quasi mercenarius præstolatur, qui dum profectum remunerationis considerat, vile æstimat, quod præ-

S. Greg. Tom. I.

ne deficiens laborat. Aptè autem subditur: *[ Sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeravi tibi. ]* Electi quippe conditori rerum serviunt, & sæpe rerum inopiâ coangustantur: per amorem Deo inhaerent, & tamen vitæ præsentis subsidiis egent. Qui igitur per actiones suas præsentia non quarunt, à mundi compendiis menses vacuos ducunt. Noctes quoque laboriosas tolerant: quia adversitatum tenebras non solum usque ad inopiam, sed sæpe ad corporis usque cruciatum portant. Despectum namque esse, egestatemque perpeti, laboriosum bonis mentibus non est: sed cum usque ad afflictionem carnis adversitas vertitur, labor proculdubio ex dolore sentitur. Perest etiam non inconvenienter intelligi, quod Sanctus quisque menses vacuos sicut mercenarius ducit: quia laborem jam sustinet, sed præmium necdum tenet: hoc tolerat, illud expectat. Noctes verò laboriosas enumerat: quia adversitates sibi præsentis temporis sese in virtutibus exercendo coacervat. Nam si proficere in mente non appetit, minus fortasse aspera, quæ mundi sunt, sentit. Quæ tamen sententia si ad vocem sanctæ Ecclesiæ ducitur, intellectus ejus paulò subtilius indagatur. Ipsa quippe vacuos menses habet, quæ in infirmis suis membris terrenas actiones absque vitæ præmio defluentes sustinet. Ipsa noctes laboriosas enumerat, quæ in membris fortibus multiplices tribulationes portat. In hac etenim vitæ quædam laboriosa sunt, quædam vacua, quædam verò vacua simul & laboriosa. Amore quippe conditoris, præsentis vitæ tribulationibus exerceri, laboriosum quidem est, sed vacuum non est. Amore autem sæculi voluptatibus solvi, vacuum quidem est, sed non laboriosum. Amore verò ejusdem sæculi adversa aliqua perpeti, & vacuum simul est & laboriosum: quia & ex adversitate mens afficitur, & remunerationis præmio non repletur. In his itaque sancta Ecclesia, qui in ea jam positi, adhuc voluptatibus defluunt, & proinde fructu boni operis non ditantur, menses vacuos ducit: quia vitæ tempora sine retributionis munere expendit. In his verò, qui æternis desiderijs dediti, mundi hujus adversa patiuntur, laboriosas noctes enumerat: quia tribulationum tenebras, quasi in caligine vitæ præsentis portat. In his autem, qui & transeuntem mundum diligunt, & tamen ejus contrarietate fatigantur, simul menses vacuos & noctes laboriosas tolerat: quia eorum vitam & retributio subsequens nulla remunerat, & præsens tribulatio angustat. Rectè autem nequaquam dies, sed in eis menses vacuos habere se perhibet. Mensium quippe nomine, dierum collectio & summa signatur. Per diem ergo unaquæque actio exprimitur: per menses autem, actionum finis innuitur. Et sæpe cum in hoc mundo aliquid agimus, intenta spei alacritate suspensi, hoc ipsum quod agimus, vacuum non putamus: sed postquam ad actionum terminum pervenimus, non obtinentes quæ appetimus, laborasse nos in vacuum dolemus. Non solum igitur dies, sed & menses vacuos ducimus, cum nos in terrenis actionibus sine fructu laborasse, non ex actionum principio, sed sine pensamus. Cum enim labores nostros adversitas sequitur, quasi vitæ nostræ vacui menses arguantur: quia ex completionem actionum agnoscitur, quam frustra in actionibus sudabatur. Sed quia in sacro eloquio nonnumquam vox pro ignorantia ponitur, Paulo attestante, qui venturam vitam scientibus discipulis dicit: *Omnes vos filij lucis estis, & filij diei: non sumus noctis neque tenebrarum:* quibus præmisit: *Vos autem fratres non estis in tenebris, ut vos dies illa tamquam fur comprehendat: potest hoc in loco ex eorum persona, vox sanctæ Ecclesiæ accipi, qui post ignorantia suæ caliginem ad amorem rectitudinis redeunt, & veritatis radiis ill-*

\* al. in dicitur.

lustrati, fletibus diluunt quod erraverunt. Illuminatus etenim quisque respicit, quam turpe fuerit quod pro presentis vite amore laboravit. In eis ergo sancta Ecclesia, in quibus ad vitam revertitur, laborem suum astuanti seruo, & desideranti finem mercenario comparat, dicens: [*Sicut seruus desiderat umbram, & sicut mercenarius prestolatur finem operis sui: sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeravi mihi.*] In comparatione etenim duo sunt, quæ præmittit: in expressione etiam fatigationis duo protinus subdidit. Ad astuantem quippe menses vacuos reddidit: quia quod magis æternum refrigerium queritur, eò magis conspicitur, quam vacuè pro vita ista laboratur. Ad prestolantem vero laboriosas noctes subintulit: quia quod magis ex termino operis præmium quod assequamur inspiciamus, eò magis ingemiscimus diu nos nescisse quod querimus. Unde & ipsa penitentis cura vigilanter exprimitur, ut laboriosas noctes enumerasse diceretur: quia quantum verius ad Deum revertimur, tantò subtilius labores, quos per ignorantiam in hoc mundo pertulimus, dolendo pensamus. Nam quod unicuique plus dulce fit, quod de æternis desiderat, eò magis ei grave ostenditur, quod pro presentium amore tolerat. Si verò ad solam historiam sequentia verba pensantur: per hæc proculdubio animus dolentis exprimitur, qualiter per diversos motus desiderij, mœstitia impellente variatur. Nam subditur: [*Si dormiero, dicam: Quando consurgam? & rursum expectabo vesperam.*] In nocte quippe dies queritur, in die vespera desideratur: quia nimirum dolor non permittit placere quæ adsunt. Cumque mentem per experimentum presentium afficit, semper hanc quasi consolante desiderio, ad alia per expectationem tendit. Sed quia & afflictæ mens per appetitum ducitur, & tamen dolor ejus etiam seductus desiderijs non finitur, rectè subjungitur: [*Replebor doloribus usque ad tenebras.*] Causa autè eisdem doloris exprimitur, cum protinus subinfertur.

*Quod vita carnalium, & cogitationum pulvere & operum putredine inquinatur.*

## CAPUT VI.

**I**N dura est caro mea putredine, & sordibus pulveris, cuius mea aruit, & contracta est. Sed hæc subtilius congruentiusque disseremus, si ad præmissæ expositionis ordinem redeamus. Somno namque torpor otij, surrectione autem exercitatio actionis exprimitur. Vesperæ quoque nomine, quia somno congruit, rursus otij desiderium figuratur. Sancta verò Ecclesia quousque vitam corruptionis ducit, flere mutabilitatis suæ damna non desinit. Ad hoc namque homo conditus fuerat, ut stante mente, in arcem se contemplationis erigeret, & nulla hunc corruptio à conditoris sui amore declinaret. Sed in eo quod ab ingentia standi soliditate voluntatis pedem ad culpam movit, à dilectione conditoris in semetipsum protinus cecidit. Amorem verò Dei, veram scilicet stationis arcem deserens, nec in se consistere potuit: quia lubricæ mutabilitatis impulsu, infra se per corruptionem proruens, etiam à semetipso \* discessit. Qui nunc, quia conditionis suæ soliditate non figitur, alternantis semper desiderij motu variatur: ut & quietus actionem desideret, & occupatus ad otium anhelet. Quia enim fixa mens stare cum potuit, noluit: stare jam non valet, etiam cum vult. Conditoris quippe sui contemplationem deserens, salutis suæ fortitudinem perdidit: & quolibet posita, semper ægra alium locum querit. Varietatem ergo humanæ mentis exprimens, dicat: [*Si dormiero, dicam. Quando consurgam? & rursum expectabo vesperam.*] Ac si aperè diceret: Nihil perceptum menti sufficit: quia ipsum qui verè sufficere potuit, amisit. In somno namque surrectionem desidero, in surrectione vesperam expecto: quia & quietus exerci-

\* al. dis-  
s. nit.

atium actionis appeto, & exercitatus otium quietis quero. Quod tamen intelligi & aliter potest. Dormire namque, est in peccatis jacere. Si enim somni appellatione culpa designata non esset, nequaquam Paulus discipulus diceret: *Evigilate iusti, & nolite peccare.* Unde & auditorem suum admonet, dicens: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis & illuminabere Christus.* Et rursus: *Hora est jam nos de somno surgere.* Unde & Salomon peccantem increpat, dicens: *Usquequo piger dormis?* Electus igitur quisque cum peccati somno premitur, ad justitiæ vigilias exurgere conatur: sed sæpe cum surrexerit, ipsa se extolli virtutum magnitudine sentit. Unde & tentari se presentis vite adversitatibus post virtutes desiderat: ne pejus ex virtutum confidentia cadat. Si enim servari se melius per tentationem non cognosceret, nequaquam Psalmista diceret: *Proba me Domine, & tentame.* Bene ergo nunc dicitur: [*Si dormiero, dicam: Quando consurgam? & rursum expectabo vesperam.*] quia & in peccati somno lumen justitiæ queritur: & cum virtutum prospera mentem elevant, adiutrix adversitas desideratur: ut profectò animus, cum virtutum suarum gaudio plus quam debet attollitur, per contrarietatem presentis vite edito mœrore solidetur. Unde & nequaquam, [*Formidabo vesperam.*] dicitur, sed [*Expectabo.*] Expectamus etenim prospera, formidamus adversa. Vir igitur sanctus vesperam expectat, quia cum existeri hunc tribulatione necesse est, ipsa ei sit adversitas prospera. Potest vesperæ nomine, etiam peccati tentatio designari: quæ sæpe tantò acrius mentem lacessit, quantum & eandem mentem spiritus ad superna altius evehit. Nequaquam enim sic in hac vita per exercitationem justitiæ, peccatum deseritur, ut in eadem justitia inconcusse maneat: quia etsi jam à cordis habitaculo culpam recitudo eliminat, ipsa tamen culpa quæ repellitur, cogitationis nostræ foribus \* atans, ut sibi aperiatur, pulsatur. Quod Moyses quoque spiritaliter innuit, cum facta corporaliter temporum momenta narravit, dicens: *Facta est lux, atque paulò post subjiciens: Factum est vesperæ.* Creator quippe omnium, humanæ culpæ præsciens, tunc expressit in tempore, quod nunc versatur in mente. Lux quippe ad vesperum ducitur: quia nimirum lucem recitudinis umbra sequitur tentationis. Sed quia electorum lux tentatione non extinguitur, nequaquam nox, sed vespera facta perhibetur: quia nimirum sæpe tentatio in corde electorum lumen justitiæ abscondit, sed non interimit: & quasi ad pallorem trepidationis pertrahit, sed funditus non extinguit. Electi ergo post somnum surrectionem appetunt, post surrectionem vesperam prestolantur: quia & de peccato ad justitiæ lumen evigilant, & in ipso justitiæ lumine positi, semper se contra illecebras tentationum parant: quas nimirum non timent, sed expectant: quia utilitati suæ recitudinis, etiam tentamenta proficere non ignorant. Quantalibet autem contra corruptionem suam virtute contenderint, habere integram salutem nequeunt, quousque dies presentis vite finiatur. Unde & subditur: [*Et replebor doloribus usque ad tenebras.*] Modò namque adversa irruunt: modò ipsa quoque prospera, callida hilaritate blandiuntur. Modò surgentia vitia bellum carnis excitant: modò devicta animus ad elationem vocant. Bonorum igitur vita usque ad tenebras doloribus repletur: quia quousque tempus corruptionis agitur, interna externaque afflictione concutitur: & salutis securitatem non invenit, nisi cum diem funditus tentationis relinquit. Unde bene & hæc eadem dolorum causa protinus subinfertur, cum dicitur: [*Indura est caro mea putredine, & sordibus pulveris.*] Ut enim paulo superius diximus, soliditatem ingentiam voluntariè homo deseruit, & sese in corruptionis voraginem misit; unde nunc vel per immunda ope-

11.

ra labitur, vel per cogitationes illicitas fœdatur. Ut enim ita dixerim, culpæ suæ pœnaliter subdita, ipsa jam natura nostra facta est extra naturam, & remissa usque ad perversa operâ ducitur: restricta autem perversorum operum impôtuna cogitatione fuscatur. Per expletionem ergo actionis illicitæ, carnem putredo afficit: per levitatem verò cogitationis improbæ, quasi ante oculos pulvis surgit. Consentiendo vitiis putredine atterimur: vitiorum verò imagines in corde tolerando, sordibus pulveris fœdamur. Ait ergo: [*Induta est caro mea putredine & sordibus pulveris.*] Ac si apertè diceret: Carnalem vitam, quam patior, aut tabes lubrica operationis polluit, aut ex vitiorum memoria caligo misera cogitationis premit. Quod tamen si ex voce Ecclesiæ universalis accipimus, aliquando hanc proculdubio carnis putredine, aliquando autem gravari sordibus pulveris invenimus. Multi quippe in ea sunt, qui dum amoris carnis inserviunt, fœtore luxuriæ computrescunt. Et sunt nonnulli, qui à voluptate quidem carnis abstinere, sed tamen tota mente in terrenis actibus jacent. Dicit ergo sancta Ecclesia unius membri sui vöcibus: dicat quid de utroque genere hominum tolerat: [*Induta est caro mea putredine, & sordibus pulveris.*] Ac si apertè insinuet, dicens: Sunt plerique, qui mihi per fidem membra sunt, sed tamen sana vel munda per actionem non sunt: quia aut victi desiderii turpibus, ad corruptionis putredinem defluunt: aut terrenis actibus dediti, pulvere terrenæ cupiditatis consperguntur. In illis enim, quos lubricos tolero, carnem videlicet putrescentem gemo: in istis autem quos terrena querentes patior, quid aliud quam fœdata pulvere membra porto? Unde & aptè simul de utrisque subjungitur: [*Cutis mea aruit, & contracta est.*] In sancta quippe Ecclesiæ corpore hi qui solis exterioribus curis inserviunt, congruè cutis vocantur. Quæ nimirum cutis arefcendo attrahitur; quia mentes carnalium, dum præsentia diligunt, & quasi juxta posita concupiscunt, ad futura tendi per longanimitatem nolunt. Qui dum internæ spei pinguedinem negligunt, ut attrahantur arefcunt: quia si eorum corda, desperatio non ficaret, nequaquam ætus hæc pusillanimitatis attraheret. Hanc namque attractionem Psalmista formidaverat, cum siccitatem mentis metuens dicebat: *Sicut adipe & pinguedine repletur anima mea.* Adeptus quippe pinguedinis animam replet, cum hanc contra præsentium desideriorum ætum supernæ spei infusio refovet. Cutis ergo arefcens attrahitur, cum cor rebus exterioribus deditum, atque ex desperatione siccatur, in auditoris sui amorem non tenditur, sed in semetipso, ut ita dixerim, rugosa cogitatione replicatur. Pensandum verò est, quòd carnales mentes idcirco præsentia diligunt, quia vita carnis quàm fugitiva sit, minimè perpendunt. Nam si velocitatem transitus ejus aspicerent, hanc etiam prosperantem minimè amarent. Sancta autem Ecclesia in electis suis quotidie quantus sit rebus exterioribus cursus conspiciat: & idcirco in intimis pedem sollicitæ intentionis figit. Unde & aptè subditur:

*Quòd vita carnalis non incongruè tela comparatur, quæ cum consummata fuerit, complicata succiditur.*

## CAPUT VII.

**D**ies mei velocius transferunt, quàm à texente tela succiditur. Congrua valde similitudine tempus carnis, telæ comparatur: quia sicut tela filis, sic vita mortalis diebus singulis proficit: sed quòd ad augmentum proficit, eò ad incisionem tendit: quia sicut & superius diximus, cum temporapercepta prætereunt, ventura breviantur: & de universo vitæ spatio eò sunt pauciora quæ ve-

S. Greg. Tom. I.

\* al. quo augmentum percipit.

niunt, quòd multa sunt quæ transferunt. Tela quippe infra supraque ligata, duobus lignis innectitur, ut textatur: sed quòd inferius texta involvitur, eò superius texenda deplicatur: & unde se ad augmentum multiplicat, inde fit minus, quod restat. Sic nimirum vitæ nostræ tempora & transacta quasi inferius involvimus, & ventura à superiori deplicamus: quia quòd plus fiunt præterita, minus esse incipiunt futura. Sed quia hæc tela ad expressionem nostri temporis sufficit, nam ejus quoque festinationem vitæ nostræ velocitas transit: rectè nunc dicitur: [*Dies mei velocius transferunt, quàm à texente tela succiditur.*] Tela quippe tarditatem profectus habet: vita autem præsens moram defectus non habet. In illa namque cum laborantis manus figitur, adventus terminus elongatur: in ista verò, quia tempus semper definens indefinenter consumimus, ad finem nostri itineris, etiam quiescendo pervenimus: & per cursum nostri transitus, etiam dormientes imus. Electi igitur, quia præsentis vitæ momenta decurrere sub festinatione conspiciunt, nequaquam in hoc tanta mobilitatis itinere, cordis intentionem figunt. Unde & aptè præterius subditur: [*Et consumpti sunt absque ulla spe.*] Reproborum mens erga dies vitæ præsentis tanto amore constringitur, ut sic semper hic appetant vivere: quatenus, si valeant, vivendi cursum desiderant nunquam finire. Cogitare quippe ventura despiciunt, spem totam in rebus transeuntibus ponunt: habere nulla nisi quæ prætereunt, concupiscunt. Cumque nimis transeuntia cogitant, & mansura nullatenus sperant: sic cæcitate insensibili cordis oculus clauditur, ut æternæ luci nullatenus intendatur. Unde fit, ut sæpe jam corpus molestia quatit, & vicina mors virtutem vitalis spiritus incidat: nec tamen curare quæ mundi sunt definant. Jamque eos ultor ad iudicium pertrahit: & tamen ipsi ordinatione sollicita rebus transeuntibus occupati, nihil aliud cogitant, nisi in hoc mundo adhuc qualiter vivant, relinquendo omnia quasi possidendo disponunt: quia spes vivendi non frangitur, etiam cum vita terminatur. Jam ad iudicium trahuntur per sententiam: & tamen adhuc habendis rebus inhærent per curam. Dura etenim mente abesse mors longè creditur, etiam cum sentitur. Sicque à carne anima solvitur, ut erga præsentia immoderato amore se retinens, cum ad æternum supplicium ducitur, hoc ipsum quoque nesciat, quòd ducatur: & deserens quæ amare cum termino noluit, repente sine termino invenit, quæ nunquam prævidit. At contra electorum mens ad æternitatis intentionem tenditur, etiam cum præsens eam feliciter vita comitatur. Magna carnis salute utitur: nec tamen ejus fiducia animus retardatur. Nullus adhuc mortis articulus erumpit: & quasi præsentem hanc quotidie conspiciat. Quia enim vita indefinenter labitur, spes ei vivendi funditus amputatur. Bene ergo de diebus prætereuntibus dicitur: [*Consumpti sunt absque ulla spe.*] Ac si apertè diceretur: Mentis fiduciam in præsentis vita non posui: quia omne quod præterit, calcando desprevi. Unde & mox aptè subditur:

*Quòd ad exhibenda recta opera, exuta carne anima non recurrat: & quòd Deus post mortem non liberat, quos ante mortem gratia ad veniam non reformat.*

## CAPUT VIII.

**M**emento quia ventus est vita mea. Hi etenim vitam carnis quasi permanentem diligunt, qui quanta sit vitæ sequentis æternitas non attendunt: cumque soliditatem perennitatis non considerant, exilium patriam, tenebras lumen, cursum stationem putant: quia qui majora nesciunt, iudicare de minimis nequaquam possunt. Ordo quippe iudicij

P ij

exigit, ut quod examinare nitimur, transcendamus. Si enim præfesse rebus omnibus animus non valet, nequaquam de his certa, à quibus vincitur, videt. Idcirco itaque mens reproba præfentis vitæ cursum estimare non sufficit, quia admirationi illius ex amore succumbit. Sancti autem viri, quia ad æterna cor elevant, quàm breve sit quod sine clauditur, pensant: & eorum sensibus vilescit quod præterit, quo intellectu radiante interlucet quod acceptum nunquam recedit. Cumque infinitatem perennitatis aspiciunt, nequaquam jam pro magno desiderant, quidquid finis angustat. Sed subleuata mens extra temporum terminos ducitur, etiam cum carne in tempore tenetur: & tantò altius finienda despicit, quantò veriùs infinita cognoscit. Sed hæc ipsa humanæ breuitatis consideratio, auctori nostro magnæ virtutis oblatio est. Unde & rectè nunc cum deprecatione immolatio ejusdem virtutis offertur, cum dicitur: [*Memento quia ventus est vita mea.*] Ac si apertè diceretur: Transientem velociter benignus respice: quia tantò à te videri misericordiùs debeo, quantò ipse à consideratione breuitatis meæ oculos non avertit. Sed quia dum tempus vitæ præfentis absconditur, ad operationem promerendæ veniæ ulterius non reditur, rectè subjungitur: [*Nec reuertetur oculus meus ut videat bona.*] Ad videnda bona extincti oculus non redit: quia ad exhibenda recta opera, exuta carne anima non recurrit. Hinc est, quòd dives quem inferni flamma cruciabat, quia semetipsum reparare operando non posse agnoverat, nequaquam jam sibi, sed relictis fratribus prodesse satagebat, dicens: *Rogo te pater Abraham, ut mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres, ut te stentur illis, ne & ipsi veniant in locum hunc tormentorum.* Solet namque mestum animum spes vel falsa fovere. Sed ut pœnam suam reprobi graviùs sentiant, spem de venia amittunt. Unde flammis ultricibus traditus, non sibi, ut diximus, sed opitulari fratribus concupivit: quia nunquam se ignium carcere tormentis, adjuncto desperationis supplicio agnovit. Hinc Salomon ait: *Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Nequaquam ergo ad videnda bona oculus reuertetur: quia retributionem suam mens inueniens, ad operationis usum nullatenus revocatur. Quia igitur fugit omne quod cernitur, & mansura sunt quæ sequuntur; bene beatus Job uno versu utraque complexus est, dicens: [*Memento quia ventus est vita mea, nec reuertetur oculus meus ut videat bona.*] Cursum quippe præfentium contemplatus ait: [*Memento quia ventus est vita mea.*] Eternitatem verò sequentium considerans adjunxit: [*Nec reuertetur oculus meus ut videat bona.*] Ubi apertè quoque universi humani generis à redemptionis munere destituti vocem protinus sumit, dicens: [*Nec aspiciet me visus hominis.*] Visus quippe hominis, est misericordia Redemptoris, quæ insensibilitatis nostræ duritiam, cum respicit, emollit. Unde teste quoque Evangelio dicitur: *Respexit Dominus Petrum, & recordatus est Petrus verbi quod dixerat Iesus, & egressus foras, flevit amare.* Exutam verò carne animam nequaquam jam visus hominis aspicit, quia post mortem non liberat, \* quam ante mortem gratia ad veniam non reformat. Hinc etenim Paulus dicit: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Hinc Psalmista ait: *Quoniam in seculum misericordia ejus.* Quia nimirum quem nequaquam modo misericordia eripit, sola post præfens sæculum iustitia addicit. Hinc Salomon ait: *Quia lignum in quocumque loco ceciderit, sive ad Austrum, sive ad Aquilonem, ibi erit:* quia cum humani casus tempore, sive sanctus, sive malignus spiritus egredientem animam claustra carnis acceperit, in

A æternum secum sine ulla permutatione retinebit: ut nec exaltata ad supplicium proruat, nec merita æternis suppliciis, ultra ad remediū creptionis ascendat. Vir igitur sanctus humani generis damna considerans, quòd à præfenti sæculo sine Redemptoris \* cogitatione subtrahitur, atque in æternis ignibus irreparabiliter sepelitur, & ejus vocem in se suscipiens, dicat: [*Nec aspiciet me visus hominis;*] quia nimirum Redemptoris gratia, quem nunc intuetur ut corrigat, tunc non respicit ut ab interitu abscondat. In iudicium quippe Dominus veniens, peccatorem videt ut feriat, sed non videt, ut ad largiendam salutis gratiam recognoscat: culpas examinat, & vitam perentium ignorat. Unde & sanctus vir, cum se post præfentem vitam respectu hominis videri non posse fateretur, apertè mox subdidit:

*Quòd secundum Dei districtam iustitiam etiam quò sancti videntur, macula peccati non carent.*

## CAPUT IX.

**O**culi tui in me, & non subsistant. Ac si apertè diceret: Districtus ad iudicium veniens & ad salvandū non vides, & ad feriendū vides: quia quem in præfenti vita dispensationis tuæ miseratione non respicis, respiciendo postmodum per iustitiam extinguis. Nunc enim peccator quisque Deum non metuit & vivit, blasphemat & proficit: quia scilicet misericors creator, quem expectando vult corrigere, aspiciendo non vult punire, sicut scriptum est: *Dissimulans peccata hominum propter penitentiam.* Sed tunc peccator cum respicitur, non subsistit: quia cum districtus iudex merito subtiliter inquit, reus ad tormenta non sufficit. Quamvis hoc etiam voci iustorum congruit, quorum mens semper sollicita venturo examini intendit. Omne enim quod agunt, metunt, dum cautè considerant ante quantum iudicem stabunt. Intuentur potentiam illius magnitudinis, & pensant quanto reatu constrikti sunt propriæ infirmitatis. Enumerant mala proprii operis, & contra hæc exaggerant bona gratiæ conditoris. Considerant prava quàm subtiliter penset: & perituros se absque ambiguitate præsciunt, si remota pietate iudicentur: quia hoc ipsum quoque quòd iustè videmur vivere, culpa est, si vitam nostram cum iudicat, hanc apud de divina misericordia non exulat. Hinc enim in hoc eodem libro scriptum est: *Astra non sunt munda in conspectu ejus:* quia apud eum districtè iudicati, ipsi quoque maculas iniquationis habent, qui per munditiam sanctitatis lucent. Bene ergo dicitur: [*Oculi tui in me, & non subsistant.*] ac si apertè iusti voce diceretur: Si subitè examinatione discutiatur, ad perferendum iudicium non assurgo: quia ad pœnam vita non sufficit, si hanc immanitas iustæ retributionis premit. Bene autem ejusdem humani generis & culpa breviter, & pœna subrogatur, cum protinus subditur.

*Quòd quem semel culpa ad interitum pertrahis, misericordia ad veniam non reducit.*

## CAPUT X.

**S**icut consistitur nubes: & pertransit: sic qui descendit ad inferos, non ascendit. Nubes quippe ad altiora suspenditur, sed densata vento impellitur ut curret, calore autem solis dissipatur ut evanescat. Sic nimirum corda sunt hominum, quæ per acceptæ rationis ingenium ad alta emigrant, impulsa autem maligni spiritus flatu, pravis desideriorum suorum motibus hue illucque pertrahuntur: sed districto respectu superni iudicis, quasi solis calore liquefiunt, & semel locis pœnalibus tradita, ad operationis usum ultra non redeunt. Vir igitur sanctus elationis cursum, defectumque humani generis expri-

Luc. 16.

Eccl. 9. c.

13.

Luc. 22.

8

\* al.

quom.

2. Cor. 6.

a

Ps. 117.

Eccl. 11.

Idem

lib. xi.

Mor. c. 4

\* al. co. gnitio. ne.

Sap. 11. d.

Job. 25. a

14.



mens dicat: [ *Sicut consumitur nubes, & pertransit, sic qui descendit ad inferos, non ascendet.* ] Ac si aperte loqueretur, dicens: In altum currendo defecit; qui superbiendo ad interitum tendit; quem si semel culpa ad poenam pertrahit, misericordia ulterius ad veniam non reducit. Unde & adhuc subditur: [ *Nec revertetur ultra in domum suam.* ] Sicut domus est corporis habitaculum corporale, ita unicuique menti hoc domus fit, quod ex desiderio inhabitare consuevit. Ad domum igitur suam ultra non revertitur; quia semel quique aeternis suppliciiis traditus, ad hoc jam ubi amore inhaerat, nullatenus revocatur. Potest etiam inferni nomine, peccatoris desperatio designari, de qua per Psalmistam dicitur: *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Unde rursus scriptum est: *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Quisquis autem impietati succumbit, vitam profecto iustitiae moriendo derelinquit. Qui vero etiam post peccatum mole desperationis obruitur, quid aliud quam post mortem in inferni supplicio sepelitur? Bene ergo dicitur: [ *Sicut consumitur nubes, & pertransit, sic qui descendit ad inferos, non ascendet.* ] quia plerumque cum perpetratione nequitiae etiam desperatio sociatur, & via iam reversionis absceditur. Recte autem corda desperantium nubibus comparantur, quia & caligine erroris obscura sunt, & peccatorum multiplicitate condensa: sed consumpta pertranseunt, quia claritate extremi iudicii irradiata dissipantur. Solet etiam domus, inhabitatio cordis intelligi. Unde sanato cuidam dicitur: *Vade in domum tuam*: quia nimirum dignum est, ut peccator post veniam ad mentem suam redeat, ne iterum quod iuste feriat admittat. Sed qui ad infernum descenderit, ad domum suam ulterius non ascendit: quia eum, quem desperatio obruit, a cordis sui habitaculo foras mittit: & redire introitus non valet, quia fufus exterius, ad deteriora quotidie impulsus cadit. Ad contemplandum quippe creatorem homo conditus fuerat, ut eius semper speciem quæreretur, atque in soliditate illius amoris habitaret: sed extra se per inobedientiam missus, mentis suae locum perdidit, quia tenebrosus itineribus sparsus, ab inhabitatione se veri luminis elongavit. Unde & apte adhuc subditur: [ *Neque cognoscat eum amplius locus ejus.* ] Locus quippe hominis, sed non localis, ipse scilicet conditor extitit, qui hunc, ut in semetipso consisteret, creavit. Quem nimirum locum tunc homo deseruit, cum seductoris verba audiens, a conditoris amore discessit. Sed cum omnipotens Deus redimendo se homini etiam corporaliter ostendit, ipse, ut ita dixerim, fugitivi sui vestigia subsequens, ad retinendum quem admiserat hominem locus venit. Si enim appellari locus nequaquam conditor posset, Deum laudans Psalmista non diceret: *Filij servorum tuorum habitabunt ibi.* Ibi enim non dicimus, nisi cum locum specialiter designamus. Sed sunt plerique, qui etiam post perceptum Redemptoris auxilium, ad desperationis tenebras devolvuntur, & tanto nequius pereunt, quanto & oblata remedia misericordiae contemnant. Recte ergo de damnato homine dicitur: [ *Neque cognoscat eum amplius locus ejus:* ] quia a conditore suo tanto tunc districtius in iudicio non cognoscitur, quanto nunc ad reparationis gratiam nec per dona revocatur. Unde & notandum summopere est, quod non ait: *Neque cognoscat amplius locum suum*, sed ait: [ *Neque cognoscat eum amplius locus ejus.* ] Dum enim cognitio non homini, sed loco tribuitur, patienter ipse conditor loci nomine designatur, qui districtus ad examen ultimum veniens, in iniquitate durantibus dicit: *Non scio vos unde sitis.* Sed electi quique quod districtè reprobos repelli considerant, eos semetipsos quotidie a perpetrata nequitiae sordi-

bus sollicitius purgant. Cumque perituros alios frigidere a vitae amore conspiciunt, studiosè se ad poenitentiae lamenta succendunt. Unde & aptè subditur: [ *Quapropter & ego non parcam ori meo.* ] Ori etenim suo non parcat, qui confiteri malum quod fecit, non erubescit. In laborem quippe os mittere, est hoc ad confessionem perpetratae iniquitatis occupare. Sed iustus ori suo non parcat, quia iram iudicis districti praeveniens, verbis contra se propriae confessionis levit. Hinc Psalmista ait: *Præveniamus faciem eius in confessione.* Hinc per Salomonem dicitur: *Qui abscondit scelera sua, non dirigitur: qui autem confessus fuerit, & dereliquerit ea, misericordiam consequetur.* Hinc rursus scriptum est: *Iustus in principio accusator est sui.* Sed nequaquam ad confessionem os panditur, nisi cum consideratione districti iudicij, per pavorem spiritus angustatur. Unde & aptè mox subditur:

*De utilitate confessionis, & poenitentiae.*

CAPUT XI.

**L**oquar in tribulatione spiritus mei. ] Tribulatio quippe spiritus linguam commovet, ut reatum pravi operis vox confessionis impugnet. Sciendum quoque est, quia saepe & reprobi peccata confitentur, sed desistere contemnant. Electi autem culpas suas, quas verbis confessionis aperiunt, districtae animadversionis fletibus insequuntur. Unde beatus Job bene postquam se ori suo non parcere spondit, tribulationem mox spiritus subdidit. Ac si aperte fateretur, dicens: Sic reatum lingua loquitur, ut nequaquam expertus a mœroris stimulo per alia spiritus vagetur: sed culpas loquens, vulnus aperio: culpas vero ad correptionem cogitans, salutem vulneris ex medicamine mœroris quaero. Qui enim mala quidem quae perpetravit, insinuat, sed flere quae insinaverit recusat, quasi subducta veste vulnus detegit, sed torpenti mente medicamentum vulnere non apponit. Confessionis igitur vocem solus necesse est ut mœror excutiat, ne vulnus proditum, sed neglectum, quod licentius iam per humanam notitiam tangitur, deterius putrescat. Quod contra Psalmista plagam cordis non solum detexerat, sed detecta etiam medicamentum mœroris adhibebat, dicens: *Iniquitatem meam ego pronuntiabo, & cogitabo pro peccato meo.* Pronunciando enim occultum vulnus detegit, cogitando autem quid aliud quam medicamentum vulnere apponit? Sed afflictæ menti, & sua sollicitè damnata cogitanti, rixa pro semetipsa oritur contra semetipsam. Nam cum se ad lamenta poenitentiae instigat, occulta se increpatione dilaniat. Unde & aptè mox subditur: [ *Confabulabor cum amaritudine anima mea.* ] Pavore namque divini iudicij afflictæ, dum quaedam male gesta plangimus, ipsa vi nostrae amaritudinis ad discutiendos nos vigilantius excitati, alia in nobis etiam quae amplius desecamus, invenimus. Nam saepe quod torpentes latuit, fletibus subtilius innotescit: & afflictæ mens certius invenit malum quod fecerat & nesciebat, eique rixa sua verius aperit, quantum à veritatis pace deviauit: quia reatum suum, cuius secreta non meminit, hunc in se commota deprehendit. Succrescens quippe amaritudo poenitentiae, veredanti cordi importunè ingerit illicita quae commisit, districtum contra hæc iudicem ostendit, suppliciorum minas incutit, pavore animam ferit, pudore confundit, motus illicitos increpat, quietem noxiæ securitatis turbat: quae ei conditor bona conculcit, quae ipse bonis illius mala respondit, enumerat, quod mirè ab eo conditus, quod gratuito nutritus, quod rationis substantiam in conditione ditatus est, quod conditoris gratiam vocatus, quod sequi ipse & vocatus noluit, quod vocantis miser-

Psal. 6.  
6  
Prov.  
18. 2

Marc. 5.  
6

15.

Psal.  
101. d

Luc. 13.  
6

Psal. 37.  
d

16.

cordia nec surdum hunc renitentemque despexit, quod illuminatus donis, quod sua sponte pravis actibus etiam post dona cæcatus est; quod à cæcitate suæ erroribus paternæ sollicitudinis flagellis expiatus; quod à flagellorum doloribus ad salutis gaudia misericordiæ medicamento reductus est; quod quibusdam culpis etsi non gravibus subditus, peccare tamen & inter flagella non desinit; quod peccatorem suum superna gratia nec contempta dereliquit. Cùm igitur afflictam mentem modò per replicationem donorum Dei, modò per impropria actionis suæ amaritudo animæ linguam suam, quæ tantò eis subtilius loquitur, quantò & interiùs auditur. Unde & nequaquam dicitur: Fabulabor in amaritudine animæ meæ, sed, [ *confabulabor cum amaritudine animæ meæ.* ] quia vis doloris, quæ peccata singula reputans, torpentem animum ad lamenta excitat, quasi ad eum verba confabulationis format, in quibus semetipsum correctus inueniat, & ad sui jam custodiam sollicitior exurgat. Dicit itaque vir iustus ex voce sua, & sanctæ Ecclesiæ typum tenens, dicat ex nostra: [ *Confabulabor cum amaritudine animæ meæ.* ] Ac si apertius insinuet, dicens: Intus contra me cum cordis mei dolore colloquor, & foris à verberibus iudicis me abscondo. Sed mens penitentiæ doloribus pressa in semetipsa constringitur, atque à cunctis delectationibus carnis forti cogitatione separatur, ad summa proficere appetit, & tamen adhuc de corruptione corporis contradictionem sentit. Unde & aptè mox subditur: [ *Numquid mare sum ego, aut cetus, quia circumdeditis me carcere?* ] Carcere homo circumdatur, quia plerumque & virtutum profectibus ad alta exurgere nititur, & tamen carnis suæ corruptione præpeditur. Quæ bene exui Psalmista deprecatur, dicens: *Educ de carcere animam meam, ad confitendum nomini tuo.* Quid verò appellatione maris, nisi corda carnalium tumidis cogitationibus fluctuosa: quid autem ceti nomine, nisi antiquus hostis exprimitur? Qui dum mentes secularium possidendo penetrat, quasi in eorum lubrica cogitatione natat. Sed cetus carcerem constringitur, quia malignus spiritus in inferioribus dejectus, ne ad caelestia evolare prævaleat, pœnæ suæ pondere coartatur; Petro attestante, qui ait: *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus informi detractos in tartarum tradidit in iudicium cruciandos reservari.* Cetus carcere constringitur, quia tentare bonos quantum desiderat prohibetur. Carcere quoque mare circumdatur, quia carnalium mentium tunida insanaque desideria ad peragenda mala quæ appetunt, impossibilitatis suæ angustia gravantur. Sæpe enim dominari melioribus concupiscunt, sed tamen eis, divino iudicio cuncta mirabiliter disponente, subtrati sunt. Nocere bonis elati desiderant, & tamen subiecti ab eis solatia sperant. Pro explendis voluptatibus carnis, longævitate vite præsentis cupiunt, sed tamen ab ea sub celeritate rapiuntur. De quibus bene per Psalmistam dicitur: *Statuit aquas quasi in ure.* Aquæ quippe in utre sunt, cùm lubrica eorum desideria, quia operis effectum non inveniunt, sub carnali corde deprimuntur. Cetus ergo ac mare circumdatione premitur carceris, quia vel malignus spiritus, vel sequaces illius, in quorum se mentibus colligit, atque in eis undas tumentium cogitationum volvit, ut implere mala quæ appetunt, nequeant, superna eos districtio angustat.

*Quid iusti desiderio pacis æterna faciant, si arceris hujus egredi angustias concupiscunt.*

## CAPUT XII.

17. SANC TI autem viri, quod mundiori corde cælestium arcana considerant, auctis ad hæc quoti-

die ardoribus anhelant. Ibi jam plenè satiari desiderant, unde adhuc parum aliquid ore contemplationis degustant. Perfectè cupiunt carnis stimulum subdere, nihil in cogitatione illicitum de eius jam corruptione tolerare: sed quia scriptum est: *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem;* intentione jam quidem ultra semetipsos eminent, sed tamen adhuc infirmitatis suæ incertis moribus subditi, corruptionis se carcere clausos dolent. Ait ergo: [ *Numquid mare sum ego, aut cetus, quia circumdeditis me carcere?* ] Ac si apertè diceret: Mare vel cetus, iniqui videlicet, eorumque auctor malignus spiritus, quia effrenari ad solam perpetranda iniquitatis licentiam appetunt, rectè pœnæ suæ carcere constringuntur. Ego autem, qui jam æternitatis tuæ libertatem desidero, cur adhuc meæ carceris corruptionis premor? Quod tamen nec à justis superbè requiritur, quia amore veritatis accensi, infirmitatis suæ angustias transgredi perfectè concupiscunt: nec ab auctore iustorum injustè disponitur, quia electorum suorum vota differens cruciat, crucians purgat: ut ad percipiendum quod desiderant, quandoque melius ex dilatione convalescant. Electi autem quousque ab intima quiete differuntur, ad cor suum redeunt: ibique de carnis suæ tumultibus absconsi, quasi amœnissimum secretum petunt. Sed in eo sæpe tentationis aculeos sentiunt, carnis incentiva patiuntur; & ibi gravissimos labores inveniunt, ubi magnam requiem à labore quæsierant. Unde sanctus vir post infinitum corruptionis suæ carcerem, ad quietam cordis patriam redire festinas, quia eandem rixam & in intimis invenit, quam ab exterioribus fugit, protinus subdit, dicens:

*Quid cùm ad silentium mentis nostra revertimur, intra nos in cogitationibus colloquimur, & quam subtilia sint iudicia divina metuentes, quasi in lectuli requie somnij visione turbamur.*

## CAPUT XIII.

SI dixero, consolabitur me lectulus meus, & relevator loquens mecum in stratu meo: terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties. In sacro namque eloquio lectulus, cubile vel stratum, secretum solet cordis intelligi. Hinc est enim quod sua uniuersusque animæ specie sponsa occultis stimulis sancti amoris excitata, in Canticis canticorum dicit: *In lectulo meo per noctes quasovi quem dilexit anima mea.* In lectulo quippe, & per noctem dilectus queritur: quia nimirum invisibilis conditoris species, repressa omni corporeæ visionis imagine, in cubili cordis invenitur. Unde & eisdem suis dilectoribus Veritas dicit: *Regnum Dei intra vos est.* Et rursum: *Si ego non abiero, Paraclitus non veniet.* Ac si apertè diceret: Si ab intentionis vestra oculis corpus non subtraherem, ad intellectum vos invisibilem, per consolatorem Spiritum non perduco. Hinc de justis per Psalmistam dicitur: *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis:* quia scilicet cùm mala ab exterioribus fugiunt, securi intra mentium secreta gloriantur. Sed tunc lætitia cordium perfecta erit, cùm carnis ab exterioribus pugna non fuerit. Nam quousque caro illicit, quia quasi nostræ domus paries quatitur, etiam cubile turbatur. Unde & rectè per eundem Psalmistam dicitur: *Uniuersum stratum ejus versabit in infirmitate ejus:* quia dum nos tentatio carnis concutit, tremefacta nostra infirmitas etiam mentis cubile confundit. Quid verò hoc loco somnia, vel visiones accipimus, nisi imaginationes ultimi districtique examinis: quod jam utcumque per timorem cernimus, sed tamen ut est veraciter non videmus. Sancti itaque viri, ut diximus, ad cordis secreta

semper redeunt; cum ab hoc mundo vel ultra votum prospera, vel ultra vires adversa patiuntur; atque externis laboribus fessi, quasi stratum vel lectulum, cubilia mentis petunt. Sed dum quibusdam imaginationibus cogitationum, quam sint subtilia divina iudicia conspiciunt, quasi in ipsa stratus sui requie, somnij visione turbantur. Contemplantur enim quam districtus iudex veniat, qui dum vi immensae magnitudinis cordium secreta illuminat, omnes ante oculos culpas reducit. Pensant quanta illa sit verecundia, in conspectu tunc totius humani generis, Angelorum omnium, Archangelorumque confundi. Perpendunt, qui post confusionem cruciatus maneat, cum & reatus animi immortaliter morientem, & indefinenter deficientem carnem gehenna consumat. Cum itaque tam pavida imaginatione mens quatitur, quid aliud quam in stratu triste somnium videtur? Dicit ergo: [Si dixerit, Consolabitur me lectulus meus; & relevabor loquens mecum in stratu meo: terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties.] Ac si aperit fateatur, dicens: Si exteriora fugiens, intorsus redeo, & utcumque requiescere in cordis cubiculo concupisco, ibi mihi, dum districtiois tuae contemplationem objicis, vehementer per ipsas meae providentiae imaginationes terres. Bene autem dicitur: [Et relevabor, loquens mecum in stratu meo:] quia nimirum cum ad mentis nostrae silentium fessi revertimur, quasi in stratu colloquentes, occulta intra nos cogitationum verba versamus. Sed haec ipsa nostra collocutio in pavore vertitur: quia ex illa vehementius intellectus nobis, qui terrorem districti iudicis innotescat, in mente aperitur. Ne quis verò haec studeat juxta litteram perscrutari, exquirendum magnopere est, quot modis tangant animum imagines somniorum. Aliquando namque somnia ventris plenitudine, vel inanitate, aliquando verò illusionem, aliquando cogitatione simul & illusionem, aliquando revelatione, aliquando autem cogitatione simul & revelatione generantur. Sed duo, quae prima diximus, omnes experimento cognoscimus: subjuncta autem quatuor, in sacrae Scripturae paginis invenimus. Somnia etenim nisi plerumque ab occulto hoste per illusionem fierent, nequaquam hoc vir sapiens indicaret dicens: Multos errare fecerunt somnia, & illusiones vanae. Vel certe: Non augurabimini, nec observabitis somnia. Quibus profecto verbis, cuius sint detestatiois ostenditur, quae auguriis conjunguntur. Rursum nisi aliquando ex cogitatione simul & illusionem procederent, Salomon minimè dixisset: Multas Gen. 37. curas sequuntur somnia. Et nisi aliquando somnia ex mysterio revelationis orientur, Joseph praefereudum se fratribus per somnium non videret: neque Mariae sponsum, ut ablato puero, in Aegyptum fugeret, per somnium Angelus admoneret. Rursum nisi aliquando somnia cogitatione simul & revelatione procederent, nequaquam Daniel propheta, Nabuchodonosor visionem differens, à radice cogitationis inchoasset, dicens: Tu rex cogitare cepisti in stratu tuo quid esset futurum post haec, & qui revelat mysteria, ostendit tibi quae ventura sunt. Et paulò post subjungit, dicens: Videbas, & ecce quasi statua una grandis, statua illa magna, & statua sublimis stabat contra te & cetera. Daniel itaque dum somnium & implendum reverenter insinuat, & ex qua ortum sit cogitatione manifestat, patenter ostenditur, quia hoc plerumque ex cogitatione simul & revelatione generatur. Sed nimirum cum somnia tot rerum qualitibus alternent, tantò eis credi difficilius debet, quantò & ex quo impulsu veniant, facilius non elucet. Saepè namque malignus spiritus his, quos amore vitae pra-

A sentis vigilantes intercipit, prospera etiam dormientibus promittit: & quos formidare adversa considerat, eis haec duris somnij imaginibus intentat; quatenus indiscretam mentem diversa qualitate afficiat, eamque aut spe sublevans, aut deprimens timore, confundat. Saepè autem etiam Sanctorum corda afficere somniis nititur, ut ab intentione cogitationis solidae, ad tempus saltem momentumque deriventur, quamvis ipsi protinus animum ab illusionis imaginatione discerant. Sed hostis insidians quòd eos vigilantes minimè superat, ed dormientes gravius impugnat. Quem tamen haec malignè agere superna dispensatio benignè permittit, ne in electorum cordibus ipse saltem à passionis praemio somnus vacet. Bene ergo rectori omnium dicitur: [Si dixerit, Consolabitur me lectulus meus, & relevabor loquens mecum in stratu meo: terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties:] quia nimirum Deus mirabiliter cuncta dispensat, & ipse facit quòd malignus spiritus injustè facere appetit, qui hoc fieri non nisi justè permittit. Sed quia justorum vita & per vigiliant tentatione quatitur, & per somnium illusionem fatigatur; foris corruptionis suae molestias tolerat, intus apud semetipsam graviter illicitas cogitationes portat: quid est quòd faciat, ut pedem cordis à tot scandalorum laqueis evellat? Ecce beatus vir, quanta undique pressus sit perturbatione cognovimus, sed quòd consilium contra hanc inveniat, audiamus. Sequitur:

C Quòd suspendium Sanctorum sit extolli ad caelestia, & mors ossium, terrena fortitudinis mortificatio.

CAPUT XIV.

Q uamobrem elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea.] Quid per animam, nisi mentis intentio; quid per ossa, nisi carnis fortitudo designatur? Omne autem quòd suspenditur, proculdubio ab imis elevatur. Anima ergo suspendium eligit, ut ossa moriantur: quia dum mentis intentio ad alta se sublevat, omnem in se fortitudinem vitae exterioris necat. Sancti enim viri certissimè sciunt, quia habere in haec vita requiem nequaquam possunt, & ideo suspendium eligunt; quia nimirum desideria terrena deserentes, ad alta animum tollunt. Suspendi autem mortem suis ossibus inferunt: quia amore supernae patriae, in virtutum studiis accincti, hoc quòd fortes prius in mundo fuerant, vinculo humilitatis insequuntur. Intueri libet quomodo animam suam Paulus suspenderat, qui dicebat: Vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus. Et rursum: Desiderium habeo dissolvi, & esse cum Christo. Et: Mihi vivere Christus est, & mori lucrum. Qui gesta terrena fortitudinis ad memoriam revocans, quasi quaedam in se ossa numerabat, dicens: Hebraeus ex Hebraeis, secundum legem Pharisaeus, secundum emulationem persequens Ecclesiam Dei. Sed suspendio animam, quia haec in se ossa interfecit, protinus asserit, qui subjungit: Sed quae mihi fuerunt lucra, haec arbitratus sum propter Christum detrimenta. Quae adhuc ossa in semetipso insinuat vehementius extincta, cum subdit: Propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercorea. Mortuus verò ossibus quam exanimis pendeat, ostendit qui illico subjungit, dicens: Ut Christum lucrifaciam, & inveniar in illo non habens meam iustitiam, quae ex lege est, sed eam qua ex fide est Iesu Christi. Sed quia collatis ejus testimoniis Paulum ad alta suspensum, mundo mortuum testati sumus, nunc beatum Job, si plenus eodem spiritu, exterioris vitae concupiscentiam fugiat, ostendamus. Sequitur:

Ecclesi. 54. a. Levi. 19. f

Ecclesi. 1. a. Gen. 37. d. Mat. 2. c.

Dan. 2. e

Ibid.

Gal. 2. d. Philip. 1.

Ibid.

Philip. 3. a

Ibid.

Ibid.

Quod desperatio Sanctorum sit terrenarum  
abacatio voluptatum.

## CAPUT XV.

**D**esperavi, nequaquam ultra jam vivam.] Sunt nonnulli iustorum, qui sic caelestia appetunt, ut tamen à terrenorum spe minimè frangantur. Largita divinitus patrimonia ad necessitatis subsidium possident, honores sibi temporaliter impensos retinent, aliena non ambiunt, suis licitè utuntur. Qui tamen ab eisdem rebus quas habent, alieni sunt, quia ad hæc ipsa quæ possident, ex desiderio non tenentur. Et sunt nonnulli iustorum, qui ad comprehendendum culmen perfectionis accincti, dum altiora interiorè appetunt, exteriorè cuncta derelinquunt: qui rebus se habitis nudant, glorià honoris expoliant: qui interiorum desiderio per assiduitatem se amici interioris afficiunt, habere de exterioribus consolationem nolunt: qui internis gaudiis dum mente appropriant, vitam in se funditis corporeæ delectationis necant. Talibus namque per Paulum dicitur: *Mortui enim estis. & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Horum vocem Psalmista expresserat, cum dicebat: *Concupiscit & deficit anima mea in atriâ Domini.* Concupiscunt enim, sed non deficient, qui jam quidem caelestia appetunt, sed adhuc tamen à terrenorum delectationibus minimè lassantur. Concupiscit verò & in atriâ Dei deficit, qui cum æterna desiderat, in amore temporalium non perdurat. Hinc Psalmista iterum dicit: *Defecit in salvari tuo anima mea.* Hinc per semetipsam Veritas admonet dicens: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum.* Et rursum: *Nisi quis renuntiaverit omnibus que possidet, non potest meus esse discipulus.* Horum igitur numero sanctus vir, divisa à terrenis desideriis mente, se inserit, qui ait: *Desperavi, nequaquam ultra jam vivam.]* Iusti quippe desperare, est præsentis vitæ bona æternitatis electione deserere, mansura quærere, & in rebus temporalibus fiduciam non habere. Qui hæc agens nequaquam se ultra vivere asserit: quia videlicet vivificatrice morte quotidie à vita se passionis occidit. Absit enim, ne vir sanctus de divinæ misericordiæ largitate desperet, ne gressum cordis à profectu intimi itineris subtrahat, ne amorem conditoris deserens, quasi à duce destitutus in via remaneat, & confossus gladio latrocinantis desperationis ruat. Sed ne ejus dicta ad nostri intellectus arbitrium videamur violenter inflectere, debemus ex posterioribus præmissa pensare. Quo enim sensu hæc dixerit, ipse protinus indicat, qui subjungit:

Quod in brevitate hujus vite magnificatur  
homo dono virtutum.

## CAPUT XVI.

**P**arce mihi Domine, nihil enim sunt dies mei.] Neque enim duo hæc verba sibi conveniunt, desperavi, & parce: nam qui desperat, nequaquam jam sibi parci postulat: & qui adhuc sibi parci desiderat, profectò minimè desperat. Aliunde ergo est quod desperat, aliunde verò quod parci sibi sanctus vir postulat: quia nimirum dum bona vitæ transcurrentis per desperationem deserit, ad obtinenda quæ permanent, in spe robustior exurgit. Desperando itaque melius ad spem veniæ dicitur: quia eò certius ventura appetit, quod præsentia veriùs & ex desperatione derelinquit. Et notandum, quod vim nobis sui cordis insinuans, unam quidem de se sententiam protulit, sed hanc tertid insinuando replicavit. Quod enim superius dixerat: *[Elegit suspendium anima mea;]* hoc replicans addidit: *[Desperavi;]* atque æterna concupiscendo, & temporalia postponendo, hoc postremò intulit: *[Parce mihi;]* & quod superius

**A** dixit: *[Mortem ossa mea;]* hoc nimirum subdidit: *[Nequaquam ultra jam vivam.]* Hoc quoque ultimò protulit: *[Nihil enim sunt dies mei.]* Bene autem dies suos nihil esse considerat, quia, ut paulò superius sæpe jam diximus, sancti viri quòd veriùs summa cognoscunt, eò \* sublimiùs terrena despiciunt, & idcirco præsentis vitæ dies nihil esse conspiciunt: quia illuminatæ mentis oculos in considerationem æternitatis figunt. De qua dum ad se redeunt, quid se esse nisi pulvorem agnoscunt, & infirmitatis suæ conscij, districtè judicari metuunt? Cumque vim tanti vigoris aspiciunt, trepidant examinari quod sunt. Unde & adhuc aptè subjungitur: *[Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?]* Hominem Deus magnificat, quia largitate rationis ditat, infusione gratiæ visitat, honore collatæ virtutis exultat. Cumque per semetipsam nihil sit, esse tamen cum cognitionis suæ participem, benignitatis munere concedit. Sed erga eundem magnificatum hominem cor suum Dominus apponit: quia post dona judicium exercit, merita subtiliter pensat, vitæ pondera vehementer examinat, & tantò ab eo post districtiùs pœnas exigit, quantò hunc impensò munere largiùs prevenit. Vir igitur sanctus immensitatem superbiæ majestatis aspicit, atque ad infirmitatem propriam considerationis oculum reducat. Videat, quia caro capere non valet hoc, quod de semetipsa Veritas per Spiritum sanctum docet. Videat, quia etiam sublevatus hominis spiritus judicium tolerare non sufficit, quod Deus sub examine districtæ retributionis intendit, & dicit: *[Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?]* Ac si aptè clamer, dicens: Magnificatur homo spiritali munere, sed tamen caro est: & vias ejus post munera districtè consideras; sed tamen si remota pietate judicetur, pondus quod de tua subtilitate imminet, ferre nec sublevatus ad justitiam spiritus valet: quia etsi hunc ultra se tua dona dilarent, ad inquisitionem tamen tui districti examinis sua cum infirmitas angustat. Unde & adhuc aptè subjungitur:

Quod Deus visitat hominem cum in virtutibus provehit, & probat eum aliquando, cum recedendo concuti tentatione permittit.

## CAPUT XVII.

**V**isitas eum diluculo, & subito probas illum.] Quis nostrum nesciat, quia diluculum dicitur, cum jam nocturna tempora in claritatem lucis mutantur? Nos itaque noctis tenebris premimur, cum perpetrato iniquitatis obscuramur. Sed nox in lucem vertitur, cum erroris nostri obscuritas, veritatis cognitione irradiatur. Nox in lucem vertitur, cum corda nostra justitiæ fulgor illuminat, quæ cæcitas culpæ deprimebat. Hoc diluculum discipulorum mentibus oriri Paulus aspexerat, cum dicebat: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* Diluculo ergo nos Dominus visitat, quia erroris nostri tenebras, luce suæ cognitionis illustrat, contemplationis munere sublevat, in arcem virtutis exultat. Sed notandum, quod Deus postquam diluculo visitat, subito hominem probat, quia & accedendo corda nostra ad virtutes provehit, & recedendo concuti tentatione permittit. Si enim post virtutum munera, nulla tentatione concutitur, hoc se habere animus ex semetipso gloriatur. Ut ergo & firmitatis dona habeat, & infirmitatem suam humiliter agnoscat, per accessum gratiæ ad alta sustollitur, & per recessum quid ex semetipso sit, probatur. Quod bene nobis ex historia sacre lectionis innuitur, quia Salomon & divinitus accepit sapientiam, & tamen post acceptam eandem sapientiam, metetricum statim pulsatus memoratur. Mox enim ut tante revelationis gratiam accepit, certamen

certamen turpium mulierum pertulit: quia nimirum saepe cum mentem nostram concessis virtutibus respectus intima largitatis illuminat, hanc protinus etiam lubrica cogitationes turbant, ut quae sublevata immenso munere exultat, etiam tentatione pulsata, quid sit, inveniat. Sic & Elias visitatus diluculo, sermone caelos aperuit, & tamen probatus subito, infirmus per desertum fugiens, unam mulierem expavit. Sic Paulus ad tertium caelum raptus ducitur, paradisi penetrans secreta considerat; & tamen ad semetipsum rediens, contra carnis bellum laborat, legem aliam in membris sustinet, cujus in se rebellione fatigari spiritus legem dolet. Diluculo ergo Deus hominem visitat, sed subito post visitationem probat: quia & collato munere sublevar, & abstracto ad paululum, ipsum sibi hominem demonstrat. Quod ed usque proculdubio patimur, quod deterfa funditus labe peccati, ad promissae incorruptionis substantiam reformemur. Unde & adhuc aptè subditur:

*Quod in hac vita saporem dulcedinis divina gustamus, sed satiari nisi in regno beatitudinis illa omnino non possumus.*

## CAPUT XVIII.

21. **V** *Squequo non parcis mihi, nec dimittis me, ut glutinam salivam meam?* Saliva in os ex capite delabitur, ab ore verò ad ventrem deducitur cum glutitur. Quid itaque est caput nostrum, nisi divinitas? per quam existendi principium sumimus, ut 1. Cor. 11 creatura simus, Paulo attestante, qui ait: *Caput veri Christus, caput autem Christi Deus.* Quid autem venter noster est, nisi mens? quae dum cibum suum, supernum videlicet intellectum suscipit, resecta proculdubio omnium membra actionum regit. Nisi enim sacra eloquia aliquando mentem nomine ventris exprimerent, Salomon utique non dixisset: *Lucerna Domini spiraculum hominis, quae investigat omnia secreta ventris.* Quia nimirum dum nos gratia superni respectus illuminat, cuncta etiam mentis nostrae nobis absconsa manifestat. Quid ergo saliva nomine, nisi sapor intima contemplationis accipitur? quae ad os à capite defluit, quia de claritate conditoris adhuc in hac vita nos positos, vix gustus revelationis tangit. Unde & Redemptor noster veniens salivam luto miscuit, & caeci nati oculos reparavit: quia superna gratia carnalem cogitationem nostram per admixtionem suae contemplationis irradiat, & ab originali caecitate hominem ad intellectum reformat. Nam quia à paradisi gaudiis expulsus, in hoc jam exilio natura edidit, quasi à nativitate homo sine oculis processit. Sed sicut sanctus vir insinuat, haec saliva ad os quidem labitur, ut verò ad ventrem usque perveniat, non glutitur: quia divinitatis contemplatio sensum tangit, sed plene mentem non reficit: quoniam perfectè animus conspiciere non valet, quod adhuc quia caligo corruptionis praepedit, raptum videt. Ecce enim electorum mens jam terrena desideria subjicit, jam cuncta quae considerat praeterire, transcendit, jam ab exteriorum delectatione suspenditur, & quae sint bona invisibilia rimatur, atque haec agens, plerumque in dulcedinem supernae contemplationis rapitur: jamque de intimis aliquid quasi per caliginem conspicit, & ardenti desiderio interesse spiritalibus Angelorum ministeriis conatur: gustu in circumscripti luminis pascitur, & ultra se evecta, 1. Cor. 12 ad semetipsum relabi deditur. Sed quia adhuc corpus quod corrumpitur, aggravat animam, inherere diu luci non valet, quam raptum videt. Ipsa quippe carnis infirmitas transcendentem se animam retrahit, atque ad cogitanda ima ac necessaria suspirantem reducit. Saliva ergo ex capite defluens os tangit, sed ad ventrem minimè pervenit: quia

S. Greg. Tom. I.

A liquore supernae contemplationis jam quidem intellectus noster infunditur, sed nequaquam mens plene satiatur. In ore etenim gustus est, in ventre satietas. Salivam itaque glutire non possumus, quia supernae claritatis bono satiari non permittimur, quod adhuc ex tenuitate gustamus. Sed quia hoc ipsum, quod utrumque jam super nos cognoscimus, ex pietate parentis est; quod verò hoc percipere perfectè non possumus; adhuc ex poena vetustae damnationis, rectè nunc dicitur: [*Squequo non parcis mihi, nec dimittis me, ut glutinam salivam meam?*] Ac si aperte diceretur: Tunc homini plene parcis, cum hunc ad perfectionem tuae contemplationis admiseris, ut claritatem tuam raptus interius videat, & cum carnis suae corruptio exterius non repellat.

B Tunc permittit ut salivam glutinam, cum me sapore tuae claritatis usque ad abundantiam satietatis infuderis, ut nequaquam jam per indigentiam gustu oris eluriam, sed in te solidatus, irrigato mentis ventre subsistat. Sed qui promereri vult bonum quod expetit, debet malum confiteri quod fecit. Sequitur:

*Quod nisi misericordia Dei subveniat, qui per nos cecidimus, nostris resurgere viribus non valeamus.*

## CAPUT XIX.

**P** *Eccavi: quid faciam tibi o custos hominum?* Ecce fatetur malum, quod fecit, sed bonum quod Deo in recompensationem debeat offerre; non invenit: quia ad abluendam culpam quaelibet humanae actionis virtus infirma est, nisi hanc misericordia parentis foveat, & non iustitia rectè judicantis premat. Unde rectè per Psalmistam dicitur: *Melior est misericordia tua super vitam:* quia quantumlibet videatur innocens, apud districtum tamen iudicem nostra nos vita non liberat, si ei reatus sui debitum misericordiae benignitas non relaxat. Vel certè cum dicitur: [*Quid faciam tibi?*] patenter ostenditur, quia haec ipsa bona, quae agere praecipimur, non praepropti, sed nobis profunt. Unde rursum per Psalmistam dicitur: *Quoniam bonorum meorum non indiges.* Humilitas autem nostrae destitutionis exprimitur, cum Deus hominum custos vocatur: quia si ejus nos custodia minimè protegit, ante occulti hostis insidias, nostrae sollicitudinis oculus vigilans dormit, Psalmista rursus attestante, qui ait: *Nisi Dominus custodierit civitatem, non vanum vigilans qui custodiunt eam.* Per nos namque cecidimus, sed nostris resurgere viribus non valeamus. Culpa nos voluntatis propriae semel stravit, sed poena culpae deterius quotidie deprimit. Ad amissam rectitudinem resurgere studiorum conatibus nitimur: sed meritorum pondere gravamur. Unde & aptè subditur.

*Quanta sit miseria mutabilitatis humanae.*

## CAPUT XX.

**Q** *Vare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihi metipsum gravis.* Tunc sibi contrarium Deus hominem posuit, cum homo Deum peccando dereliquit. Serpentis quippe persuasionibus captus hostis ejus extitit, cujus praepcepta contempsit. Iustus verò conditor hunc sibi contrarium posuit, quia inimicum ex elatione deputavit. Sed haec ipsa contrarietas culpae, facta est homini pondus poenae; ut corruptioni suae malè liber serviat, qui bene servus de incorruptionis libertate gaudebat. Salubrem quippe humilitatis arcem deserens, ad infirmitatis jugum superbiendo pervenit, & cervicem cordis erigendo supposuit: quia qui subesse divinis iustificationibus noluit, sub suis se necessitatibus stravit. Quod melius ostendimus, si ea quae dejectus sustinet, & prius carnis, & post pondera mentis exprimamus. Ut enim taceamus hoc, quod dolores tolerat, quod febribus anhelat, sua qua-

Q

*idem sum  
pra lib.  
4. c. 41.*

dam aegritudine constringitur, ipsa hæc nostri corporis, quæ salus vocatur, aegritudo est. Nam otio tabescit, opere deficit: inedia deficiens, cibo reficitur ut subsistat: refectioe lassescens, abstinentia relevatur ut vigeat: aqua perfunditur, ne ardeat: linteis tergitur, ne ipsa nimis perfusione liquefiat: labore vegetatur, ne quiete torpeat: quiete refouetur, ne laboris exercitatione succumbat: fatigatur vigiliis, somno reparatur: oppressa somno, vigiliis excutitur, ne sua pejus quiete lassetur: vestibus tegitur, ne frigoris adversitate penetretur: quanto calore deficiens, aurarum flatu refouetur. Cumque inde molestias invenit, unde vitare molestias quaesivit, male sauciata, ut ita dixerim, de ipso suo medicamine languescit. Remotis ergo febribus, cessantibusque doloribus, ipsa nostra salus aegritudo est, cui curandinecessitas numquam deest. Quot enim solatia ad vivendi usum quarimus, quasi tot nostra aegritudini medicamentis obviamus. Sed ipsum quoque medicamen in vulnus vertitur: quia exquisito remedio paulò diutius inhaerentes, ex eo gravius deficiamus, quod providè ad refectioem paramus. Sic nimirum debuit præsumptio corripri, sic superbia sterni. Quia enim elatum semel sumptum spiritum, ecce defluens quotidie portamus lutum. Ipsa quoque mens nostra à secreti interioris securo gaudio exclusa, modo spe decipitur, modo pavore vexatur, modo dolore dejicitur, modo falsa hilaritate relevatur: transitoria pertinaciter diligit, eorumque amissione incessanter atteritur, quia & incessanter cursu rapiente permutatur. Rebus autem mutabilibus subdita, & à semetipsa variatur. Nam quaerens quod non habet, anxia percipit: cumque hoc habere cæperit, tædet hanc percepisse quod quaesivit. Amat sæpe quod despexerat, despicit quod amaverat. Cum labore quæ aeterna sunt discit: sed horum repente obliviscitur, si laborare desierit. Diu quaerit, ut parum quid de summis inveniat: sed ad consueta citius relabens, nec parum in his quæ invenerit, perseverat. Erudiri appetens, vix suam ignorantiam superat: sed erudita, gravius contra scientiæ gloriam pugnat. Vix carnis suæ sibi tyrannidem subicit: sed tamen adhuc intus culpæ suæ imaginem tolerat, cuius jam foris opera vincendo restrinxit. In auctoris sui inquisitione se erigit: sed reverberatam hanc, corporearum rerum amica caligo confundit. Semetipsam qualiter incorporea corpus regat, intueri vult, & non valet. Requirit mirè, quod sibi respondere non sufficit: & sub eo ignara deficit, quod prudenter requirit. Amplam se simul & angustam considerans, qualem se veraciter aestimet ignorat: quia si ampla non esset, nequaquam tam investiganda requireret. Et rursum si angusta non esset, hoc ipsum saltem quod ipsa requirit, inveniret. Bene ergo dicitur: [ *Posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihi meris ipsi gravis.* ] Quia dum repullus homo, & à carne molestias, & à mente quaestiones tolerat, grave nimirum pondus semetipsam portat. Undique languoribus premitur, undique infirmitatibus urgetur; & qui relicto Deo, se sibi ad requiem sufficere credit, nihil in se nisi tumultum perturbationis invenit, inventumque se fugere quaerit: sed auctore contempto, quò possit fugere,

CAP.  
VIII.

**R**espondens autem Baldad Subites, dixit: *Utsquequo loqueris talia, & spiritus multiplex sermones oris tui? Numquid Deus supplantat iudicium, aut Omnipotens subvertit quod iustum est? Etiam si filii tui peccaverunt ei, & dimisit eos in manu iniquitatis suæ: tu tamen si diluculo surrexeris ad Deum, & Omnipotentem fueris deprecatus: si mundus & rectus incesseris, statim evigilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum insitiae tuæ: in tantum, ut si priora tua fuerint parva, & novissima tua multiplicentur nimis. Interroga enim generationem pristinam, & diligenter investiga patrum memoriam: (hesterni quippe sumus, & ignoramus quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram) & ipsi docebunt te: loquentur tibi, & de corde suo proferent eloquia. Numquid vivere potest scirpus absque humore, aut crescere carectum sine aqua? Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arefcit. Sic via omnium qui obliviscuntur Deum, & spes hypocrita peribit.*

A non habet. Cujus infirmitatis pondera bene quidam sapiens contemplatus, ait: *Grave jugum super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum usque ad diem sepulture in matrem omnium.* Beatus autem Job ista considerans, & quare ita ordinata sint ingemiscens, non iustitiam redarguit, sed misericordiam inquit: ut percontando ipse humiliter pulset, quod parcendo divina pietas immutat. Ac si apertè dicat: Cur quasi contrarium tibi hominem despicias, qui certus scio, quia perire vel ipsum quem despiciere crederis, non vis? Unde bene adhuc & humilitatem confessionis exprimit, & vocem liberae inquisitionis adjungit, dicens: [ *Cur non tollis peccatum meum, & quare non auferis iniquitatem meam?* ] Quibus profectò verbis quid aliud quam desiderium prestolati mediatoris innuitur: de quo Joannes ait: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Vel certè ab humano genere tunc peccatum plenè tollitur, cum per incorruptionis gloriam nostra corruptio permutatur. Esse namque à culpa liberi nequaquam possumus, quousque in corpore mortis tenemur. Redemptoris ergo gratiam, vel resurrectionis soliditatem desiderat, qui iniquitatem suam auferri funditus sperat. Unde mox & \* pœnam prævaricationis culpe quam ex origine meruit, & iudiciū quod ex propria actione pertimescit, adjungens subdit:

*Quòd præsens mors sit pena peccati, & in iudicio, si à peccatore secundum distributionem operum ratio exigatur, non subsistit, nec habet quid respondeat iudici.*

CAPUT XXI.

**E**cce nunc in pulvere dormiam: & si mane me quaesieris, non subsistam. Peccanti primo homini dictum est: *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Mane autem dicitur illa tunc manifestatio mentium, quæ in adventu iudicis apertis cogitationibus quasi post noctis tenebras demonstratur. De quo nimirum mane per Psalmistam dicitur: *Mane adstrabo tibi, & videbo.* Quærere autem Dei, est hominem subtili interrogatione discutere, & distriè discutiendo judicare. Beatus igitur Job humanæ dejectionis dampna considerans, videat quia & præsentis jam pena premitur, & adhuc de futuris gravius urgetur: Et dicat: [ *Ecce nunc in pulvere dormiam: & si mane me quaesieris, non subsistam.* ] Ac si apertius deploret, dicens: In præsentis quidem mortem jam carnis patior, & tamen adhuc de futuro iudicio graviorem morte, distributionis tuæ sententiam pertimesco. Interitum pro culpa sustineo, sed adhuc ad iudicium veniens, culpa scilicet & post interitum formido. Exteriores ergo mortem considerans, dicat: [ *Ecce nunc in pulvere dormiam:* ] interioremetuens adjungat: [ *Et si mane me quaesieris, non subsistam.* ] Quantalibet enim iustitia polleant, nequaquam sibi ad innocentiam vel electi sufficiunt, si in iudicio distriè requirantur. Sed hoc nunc ad solatium suæ ereptionis inveniunt, quòd nequaquam se posse sufficere humiliter sciunt. Sub humilitatis ergo tegmine à gladio se tantæ animadversionis abscondunt, & quòd terrorem venturi iudicis præstolantes continuo timore trepidant, eò indefinenter agitur, ut paratiores fiant. Sequitur.

Non ei placebit recordia sua, & sicut tela arancarum fiducia eius. Immittere super domum suam, & non stabit: fulciet eam, & non consurget. Humectus videtur antequam veniat sol, & in ortu suo germen eius egrēdiatur. Super acervum petrarum radices eius densabuntur, & inter lapides commorabuntur. Si absorberit eum de loco suo, negabit eum, & dicit: Non novi te. Hac est enim latitia via eius, ut rursus de terra alii germinetur. Deus non proiciet simplicem, nec porriget manum malignis: donec impleatur risu os tuum, & labia tua iubilo. Qui oderunt te, induentur confusione: & tabernaculum impiorum non subsistet.

## CAPUT XXII.

24. **R**espondens autem Baldad Suhites, ait: *Vsquequo loqueris talia, & spiritus multiplex sermones oris tui?* Injustis semper gravia sunt verba iustorum, & quæ ad ædificationem prolata audiunt, hæc quasi superimpositum pondus ferunt. Quod de se aperte Baldad Suhites indicat, dicens: *[Vsquequo loqueris talia?]* Qui enim *vsquequo* dicit, quia ædificationis verba jam portare non possit, ostendit. Sed cum corrigi iniqui despiciunt, bene prolata criminantur. Unde & protinus subiungit: *[Et spiritus multiplex sermones oris tui.]* Cum multiplicitas in sermone reprehenditur, esse proculdubio intelligentiæ gravitas in sensu denegatur. Vis quippe summa loquentium, quadrifaria qualitate distinguitur. Nam sunt nonnulli, quos sentiendi simul ac dicendi amplitudo dilatat: & sunt nonnulli, quos sentiendi simul & dicendi inopia angustat. Sunt nonnulli, qui efficaciam dicendi habent, sed acumen sentiendi non habent: & sunt nonnulli, qui acumine sentiendi subnixi sunt, sed ex inopia locutionis obmutescunt. Hoc namque in hominibus cernimus, quod in rebus sæpe insensibilibus videmus. Nam plerumque & abundans aqua ab intimis ducitur, & largis in superficiei meatibus derivatur. Plerumque angusta in intimis latet, & progrediendi rimas difficile inveniens, foras angustior exundat. Plerumque minima in absconditis oritur: cumque patenter quæ exeat invenit, ex lato foramine tenuis procedit, magnique se meatus dilatant, sed non est quod fundant. Plerumque verò ampla in absconditis surgit, sed angustis pressa meatibus tenuissimè profluit. Sic itaque in aliis os patens emanat, quod largus ingenij fons ministrat. In aliis intellectum nec sensus porrigit, nec lingua fundit. In aliis os quidem ad loquendum patet, sed ad reddendum parata à sensu lingua nihil accipit. In aliis verò largus sentiendi fons à corde exuberat, sed hunc quasi meatus tenuis impar lingua coangustat. In quibus nimirum quatuor dicendi qualitatibus, sola criminis tertia subiacet, quæ hoc sibi per locutionem arripit, ad quod per ingenium non assurgit. Nam prima laudanda est, quæ utroque valenter pollet. Secunda miseranda, quæ utroque humiliter caret. Quarta adjuvanda, quæ explere, quod sentit, non valet. Tertia verò despicienda atque reprimenda, quæ dum sermone se erigit, sensu jacet: quæ membris inflatione tumentibus similis, ad aures audientium vasta, sed vacua procedit. Quod nunc Baldad beato Job crimen intorquet, dicens: *[Spiritus multiplex sermones oris tui.]* Qui enim multipliciter sermonis ori tribuit, profectò cordis inopiam reprehendit. Ac si aperte dicat: Abundantia spiritus in sermone oris attolleris, sed sensus indigentia coangustaris. Pravi autem, cum recta reprehendunt, ne ipsi quæ iusta sunt, nescire videantur, nota omnibus bona, quæ audiendo didicerunt, quasi incognita proferunt. Unde & Baldad protinus adiungit: *[Numquid Deus supplantat iudicium, aut omnipotens subvertit quod iustum est?]* Hæc beatus Job nec loquens negaverat, nec reticensignorabat. Sed proceres quique, ut diximus, etiam nota jactanter proferunt, ut loquendo docti videantur. Contemnunt moderatè conticescere, ne credantur ex imperitia tacuisse. Sciendum verò est, S. Greg. Tom. I.

**A** quia tunc divinæ justitiæ rectitudinem laudant, cum se ad gaudium incolunitas sublevar; & alios flagella castigant, cum se conspiciunt rerum prosperitate perfrui, alios adversitate fatigari. Nam dum perversè agunt, sed tamen se rectos arbitrantur, hoc quod sibi prospera suppetunt; debere suis meritis credunt; eoque colligunt quod Deus injustè non iudicat, quod quasi iustos se adversitas nulla contristat. Sed si eorum vitam qualibet breviter vis supernæ correptionis attigerit, pulsati protinus consilium divini examinis increpant, quod paulò antè incolumes admirando præferbant; iustumque esse iudicium, quod suis moribus adversatur, negant: & dum de divina æquitate disputant, ad resultationis verba profluunt, & correpti quia deliquerint, gravius delinquant. Unde bene etiam per Psalmistam contra peccatoris confessionem dicitur: *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei.* Despecta quippe vox confessionis est, quam format jucunditas prosperitatis. Sola autem confessio habet magni meritum ponderis, quam à veritatis rectitudine nequaquam separat vis doloris, quam usque ad iudicium vocis exacuit adversitas testis cordis. Non ergo mirum, quod Baldad divinam justitiam laudat, qui nihil adversi ab eadem justitia tolerat. Sed quia amicos beati Job, hæreticorum tenere speciem diximus, libet ut paucis quomodo Baldad verba hæreticorum subreptionibus congruant, demonstremus. Hi quippe dum sanctam Ecclesiam temporali corripit animadversione conspiciunt, audacibus in jactantiam perversæ prædicationis intumescunt, & superni examinis rectitudinem prætendentes, prosperari se ex meritis asserunt: illam verò affligi dignis retributionibus attestantur, & verbis blandientibus subreptionis aditum protinus inter dolores quærunt, atque aliorum vitam exprobrantes, aliorum mortibus feriunt, ac si illi jam iustè defuncti sint, qui de Deo credere digna noluerunt. Unde Baldad Suhites, postquam divinam justitiam protulit, illico subiungit: *[Etiam si filij tui peccaverunt ei, & dimisit eos in manu iniquitatis suæ: tu tamen si diluculo confurrexeris ad Deum, & Omnipotentem fueris deprecatus: si mundus & rectus incesseris, statim evigilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum justitiæ tuæ.]* Ac si afflictis catholicis errorum prædicatores dicant: Vitæ vestræ providete, & quam perversâ teneatis, ex eorum qui inter vos defuncti sunt, damnatione cognoscite: quia conditori omnium nisi perfidia vestra displiceret, nequaquam à vobis tam numerosos populos, interitu læviente subtraheret. Ait enim: *[Etiam si filij tui peccaverunt ei, & dimisit eos in manu iniquitatis suæ.]* Quasi aperte dicens: In iniquitatis suæ manu dimissi sunt, qui vitam nostræ rectitudinis initari noluerunt. Tu tamen si diluculo confurrexeris ad Deum, & Omnipotentem fueris deprecatus. Quia enim se hæretici tenere lucem veritatis æstimant, sanctam Ecclesiam quasi in efroris nocte positam, ad diluculum veritatis vocant, quatenus & per cognitionem Dei, quasi per diluculum surgat, & per precem pœnitentiæ præterita diluat. *[Si mundus & rectus incesseris.]* Mundus videlicet in cogitatione, rectus in opere. *[Statim evigilabit ad te.]* Ac si aperte dicat: Quia is qui nunc tribulationibus tuis virtutem suæ protectionis non exerit, quasi ab adiutorio errantis dormit. *[Et pacatum reddet habitaculum justitiæ tuæ.]*

Qij

id est, præsentis vite contrarietates amover, & tranquillitatis protinus securitatem præbet. Quia enim perverſi quique temporale gaudium ſingulare æſtimant divinæ remunerationis bonum; quæ ipſi anxie ambiunt, hæc aliis pro magno pollicentur. Unde plerumque fit, ut aut amiſſa recuperari ſpondeant, aut ad majora adhuc præſentis vite præmia auditorum ſuorum animos extendant. Quod patenter Baldad exprimit, cum protinus adjungit: [*In tantum, ut ſi priora tua fuerint parva, & no- viſſima tua multiplicentur nimis.*] Si verò habitaculum juſtitia, conſilium mentis vocat, afflictis catholicis errorum magiſtri pacatum juſtitia habitaculum promittunt: quia ſi eos ad ſua pertrahunt, profecto à contentione conticeſcunt. Namque hi, qui pertrahi ad perverſa poterunt, tanto jam tranquillius temporali pace quieti ſunt, quanto longius ab æterna ſeparantur. Opes quoque intelligentia ſequentibus crefcere ſpondent. Unde & ſubditur: [*In tantum, ut ſi priora tua fuerint parva, & no- viſſima tua multiplicentur nimis.*] Sed quia eorum verbis non facile creditur, quoniam ſæpe vita contemptibilis demonſtrat, antiquorum patrum ſententias proferunt, earumque rectitudinem in argumentum ſui erroris inſectant. Unde & ſubditur:

*Quod antiquorum patrum exempla, ad inſinuandum tranſitoria huꝝ vite inſtabilitatem, inveniuntur.*

## CAPUT XXIII.

**I**n terroga enim generationem priſtinam, & diligenter inveſtiga patrum memoriam. ] Generationem priſtinam, ac patrum memoriam nequaquam videri, ſed inveſtigari admonent: quia hoc in ea nolunt conſpici, quod liquidò cunctis patet. Nonnumquam verò more bonorum, quædam moraliter docent, & qualiter ex præteritis præſentia colligantur, inſinuant: atque ex his quæ jam à noſtris oculis pertranſeundo ſubtracta ſunt, quàm nulla ſine quæ videntur, demonſtrant. Unde & adhuc ſubditur: [*Heſterni quippe ſumus, & ignoramus quoniam ſicut umbra dies noſtri ſunt ſuper terram.*] Generatione itaque priſtina interroganda proponitur, ut tranſire tempus vite præſentis ſicut umbra monſtretur: quia videlicet ſi ea quæ erant, & jam tranſacta ſunt, ad memoriam reducimus, patenter cognoſcimus quàm celeriter hoc quoque fugiat, quod tenemus. Sæpe verò hæretici eodem nobiſcum patres, quos veneramus, laudant: ſed intellectu depravato, ipſi nos eorum laudibus impugnant. Unde & adhuc ſubditur: [*Ipli docebunt te; loquentur tibi, & de corde ſuo proferent eloquia.*] Notandum quod ſuperius dixerat: *Spiritus multiplex ſermones oris tui*: nunc verò, reductis ad memoriam patribus, dicit: [*De corde ſuo proferent eloquia.*] Ac ſi vitam ſanctæ Eccleſiæ hæretici deteſtantes, dicant: Multiplicitatem ſpiritus in ore habes, in corde non habes. Sed illi contra te audiendi ſunt, qui verba ex corde proferentes, recta vivendo docuerunt. Sæpe autem pravi, dum ſua vitium tortitudinis ignorant, audent aliorum rectitudinem lacerant. Cumque contra bonos ſibi auctoritatem increpationis arripiunt, aut ea bona proferunt, quæ non vivendo, ſed audiendo didicerunt; aut ea aliis mala mentientes ingerunt, quæ ipſi committunt. Sed cum ea bona proferunt quæ ſervare contemnunt, ſciendum eſt quia plerumque veritas ſic per ora adverſariorum ſonat, ut eorum linguam movens, vitam feriat; quatenus culmen rectitudinis loquentes & ignorant, ipſi & verbis iudices, & factis accuſatores ſiant. Unde Baldad mira quidem contra hypocritas ſubdit, ſed mucrone verbi ſe imperit: quia ſimulator juſtitia, niſi ex aliquantulo ipſe eſſet, docere juſtum nequaquam tanta temeritate

A præſumeret. Et quidem fortia ſunt valde quæ dicit: ſed hæc ſtultis, non autem ſapientibus; pravis, non recto dicere debuit: quia & recordem ſe aſſerit, qui hortis ſitientibus, in flumen aquam fundit. Sed interim poſtpoſcentes cui dicitur, penſemus ſubtiliter quid dicatur; ut nos prolata inſtruant, quamvis meritum ſui auctoris impugnent. Sequitur:

*Quid Sanctorum bona, quia vera ſunt, permanent; hypocritarum vero bona, quia falſa ſunt, non perſeverant: & quod ſuperbi correctionis impatientes ſunt.*

## CAPUT XXIV.

**N**umquid\* vivere poteſt ſcirpus abſque humore, <sup>\* al. vi. rere al. vitref. cere</sup> *aut crefcere carectum ſine aqua?* ] Cui Baldad ſcirpum, vel carectum comparat, ipſe protinus aperit, cum ſubjungit: [*Cum adhuc ſit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas areſcit: ſic via omnium qui obliſciuntur Deum, & ſpes hypocrita peribit.*] Scirpi ergo vel carecti nomine, hypocritæ vitam ſignat, quæ ſpeciem quidem viriditatis habet, ſed ad humanos uſus fructum utilitatis non habet; quæ ſterilitate operis arida permanens, ſolo ſanctitatis colore virideſcit. Sed neque ſine humore ſcirpus, neque ſine aqua carectum proficit: quia hypocritarum vita ad bona opera inſuſionem quidem ſuperni muneris percipit, ſed in cunctis quæ agit, exteriores laudes appetens, à fructu perceptæ inſuſionis inanefcit. Sæpe namque mira ſignorum opera faciunt, ab obſeſſis corporibus ſpiritus pellunt, & per prophetiæ donum, ventura quæque ſciendo præveniunt, ſed tamen à largitore tot munerum, cogitationis intentione diviſi ſunt: quia per ejus dona, non ejus gloriam, ſed proprios favores quærunt: cumque per accepta dona in ſua laude ſe elevant, ipſis muneribus contra largitorem pugnant. Inde quippe contra dantem ſuperbiunt, unde ei amplius humiles eſſe debuerunt. Sed eò poſtmodum eos diſtinctior ſententia percipit, quò nunc ſuperna bonitas & ingratos largiùs inſundit. Fitque eis amplitudo muneris, incrementum damnationis; quia irrigati fructum non ferunt, ſed ſub viriditatis colore vacui in altum crefcunt. Quos bene per Evangelium Veritas exprimit, dicens: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo demonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc conſitebor illis, quia nunquam novi vos: diſcedite à me qui operamini iniquitatem.* Scirpus igitur vel carectum ſine aqua non vivit: quia nimirum hypocritæ non niſi ex ſuperno munere viriditatem bonæ operationis accipiunt; ſed quia hanc in uſum propriæ laudis arripiunt, in aqua quidem virides, ſed tamen inanes crefcunt. Bene autem ſubditur: [*Cum adhuc ſit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas areſcit.*] Scirpus in flore, eſt hypocrita in laude. Acutis verò angulis ſurgens carectum, manu non carpitur; quia exasperatis per arrogantiam ſenſibus, de pravitate ſua hypocrita corripit dedignatur. In flore ſuo manum carpentis incidit, quia in laude hypocrita poſitus, ne hunc quiſquam corripere audeat, aſperitate ſua protinus vitam corripientis ſecat. Sanctus namque eſſe non appetit, ſed vocari: & cum forte corripitur, quaſi in opinionis gloria detruncatur. Deprehenſum ſe in pravitate iracitatur, loqui ſibi redarguentem prohibet: quia velut in occulto vulnere tactus dolo. Qualis imperitis innotuit, talis vult ab omnibus æſtimari, & paratior eſt mori quàm corripit. Redargutione deterior redditur, quia quaſi diræ percuſſionis æſtimat jaculum, puritatis verbum. Unde exasperatus protinus in contumelias ſurgit, & quæ mala exaggeret contra vitam correptoris, inquirat. Demonſtrare lon-



gè incomparabiliter reum reprehensorem suum desiderat, ut innocentem se non suis actibus, sed alienis criminibus ostendat: ita ut sæpe homo reargutionis aliquid se dixisse pœniteat; & quasi à carpentis manu, sic à corripentis animo quidam, ut ita dixerim, sanguis meritis currat. Unde bene

Prov. 9.

per Salomonem dicitur: *Noli arguere derisorem, ne odesis te.* Neque enim iusto timendum est, ne derisor cum corripitur, contumelias inferat; sed ne tractus ad odium, peior fiat. Inter hæc sciendum est, quod iustorum bona, quia ex corde incipiunt, usque ad præsentis vitæ terminum crescunt: Hypocritarum verò opera, quia nequaquam sunt in occulto radicata, sæpe antè deficiunt, quàm præsens vita finiat. Nam plerumque studio sacræ eruditionis insistent, & quia hanc non præparandis meritis, sed

promerendis favoribus inquirent, statim ut iudicium humanæ laudis arripiunt, & per hoc gratiam transitorij profectus assequuntur, tota mente sæcularibus curis inserviunt, atque à sacra funditus eruditione vacuantur, & agendo post indicant, quantum temporalia diligant, qui sola prius aeterna prædicabant. Plerumque autem assumptæ speciem maturitatis ostendunt, quiete silentij, longanimitate patientiæ, continentæ virtute decorantur. Sed cum

per hæc quæsi culmen honoris attigerint, cumque sibi jam reverentia à cunctis impenditur, protinus se in lasciviam voluptatis fundunt, & bona se non ex corde tenuisse ipsi sibi testes sunt, qui hæc cito dimiserunt. Nonnumquam verò aliqui quæ possident tribuunt, atque indigentibus cuncta largiuntur; sed tamen ante vitæ terminum, avaritiæ prærigine accensi, aliena appetunt, qui sua largiri videbantur, & pertinaci post crudelitatem ambiunt quod facta prius pietate reliquerunt. Unde & rectè nunc dicitur: *[Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arefcit.]* \* Juxta carnalem quippe intellectum & iusti herba sunt, Propheta attestante, qui ait: *Omnis caro fœnum.* Sed ante omnes herbas arefcere scirpus dicitur, quia iustis in bono suo permanentibus, à viriditate assumptæ rectitudinis hypocritarum vita siccat. Arefcunt herbæ etiam reliquæ, quia iustorum opera cum carnis vita deficiunt. Sed herbarum ariditatem scirpus prævenit, quia priusquam de carne hypocrita transeat, ea quæ in se ostenderat virtutum facta derelinquit.

28.

\* al. iuxta carnem quippe & iusti herba sunt, Esai. 40

De quibus etiam bene per Psalmistam dicitur: *Fiani sicut fœnum adificiorum, quod priusquam evellatur, exaruit.* Fœnum quippe ædificij in alto nascitur, sed nequaquam pingui radice solidatur: quia & hypocrita summa quidem agere cernitur, sed non in eis ex cordis puritate roboratur. Quod nimirum fœnum etiam non evulsio citius arefcit: quia videlicet hypocrita & in præsentia adhuc vita subsistit, & jam sanctitatis opera quasi viriditatis speciem amittit. Quia enim sine intentione rectæ cogitationis bona studuit agere, hæc amittens, indicat se sine radice floruisse. Sed Baldad, sicut prædiximus, cui scirpus vel carectum comparet, illico aperit, cum subiungit: *[Sic via omnium qui obliviscuntur Deum, & spes hypocrita peribit.]* Quid enim cunctis suis operibus hypocrita sperat, nisi honoris reverentiam, gloriam laudis, à melioribus metui, sanctus ab omnibus vocari? Sed permanere spes hypocritæ non valet, quia aternitatem non quærens, fugit quod tenet. Nequaquam quippe mentis ejus intentio in illa gloria figitur, quæ sine fine possidetur: sed cum transitorij favoribus inhiat, perdit percipiendū quod laborat, Veritate attestante, quæ ait: *Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.* Sed hæc spes recipiendæ mercedis diu teneri non potest, quia pro extensis operibus honor tribuitur, sed vita ad terminum urgetur: laudes resonant, sed ad finem cum laudibus tempora festinant: & quia nequaquam animus in aternitatis amore radicitur, cum

Ps. 128.

b

Matt. 6.

a

ipsis profecto rebus quas diligit, labitur. Nemo namque valet mobilia diligere, & ipse immobilis stare. Qui enim transeuntia amplectitur, eo ipso ad cursum ducitur, quod decurrentibus implicatur. Dicit ergo: *[Et spes hypocrita peribit.]* quia humana laus, quam magnis laboribus appetit, impulsâ temporum momentis decurrit. Bene autem subditur:

*Quod vili pretio opus magnum vendit, qui ideo in laboribus continentia servit, ut laus ei ab hominibus impendatur. & cum tempore retributionis advenit, hæc quæ modo placet insania, in tormentis possis displicebit.*

#### CAPUT XXV.

**N**on ei placebit recordia sua. Magna quippe recordia est, laboriosa agere, & auræ laudis inhiare; forti opere præceptis celestibus inseruire, sed terrena retributionis præmium quærere. Ut enim ita dixerim, qui pro virtute quam agit, humanos favores desiderat, rem magni meriti vili pretio venalem portat. Unde celi regnum mereri potuit, inde nummum transitorij sermonis quærit. Vili ergo pretio opus vendit, quia magna impendit, sed minima recipit. Quibus itaque hypocritæ similes, nisi secundis & neglectis vitibus existunt? quæ per ubertatem fructum proferunt, sed nequaquam per studium à terra sublevantur. Quod pingues palmites germinant, errantes bestia conculcant; & quod hoc uberius aspiciunt, projectum in infimis, avidius consumunt: quia nimirum hypocritarum opera dum clara monstrantur, quasi pingua prodeunt: sed dum humanas laudes appetunt, quasi in terra deseruntur. Quæ hujus mundi bestia, maligni scilicet spiritus comedunt, quia hæc ad usum perditionis inflectunt; tantoque ardentius rapiunt, quanto & magna clariùs innoscuntur. Unde bene per Prophetam dicitur: *Culmus stans, non est in eo*

291.

*germen, & non faciet farinam, quod etsi fecerit, alieni comedent eam.* Culmus quippe germen non habet, cum vita meritis virtutum caret. Farinam culmus non facit, cum is qui in præsentia sæculo proficit, nil subtilitatis intelligit, nullum boni operis fructum reddit. Sed sæpe & cum fecerit farinam, hanc alieni comedunt: quia & cum bona opera hypocritæ ostendunt, de his malignorum spirituum vota fatiantur. Qui enim per hæc placere non appetunt, nequaquam agri dominum, sed alienos pascunt. Fecundo itaque hypocrita & neglecto palmiti similis, servare fructum non valet, quia botrus boni operis in terra jacet. Sed tamen hæc ipsa recordia sua pascitur, quia pro bono opere à cunctis honoratur: ceteris præeminet, subjectas hominum mentes tenet, majoribus locis attollitur, favoribus nutritur. Hæc verò ei sua recordia placet interim, sed non placebit: quia cum retributionis tempus advenit, in pœna displicebit quod vecors fuit. Tunc se stultè egisse intelliget, cum pro delectatione laudis, sententiam divinæ \* correptionis acceperit.

Osce. 3. b

Tunc se recordem fuisse considerat, cum se pro temporalis, quam percepit, gloria, perpetua tormenta castigant. Tunc veram scientiam supplicia aperiant: quia per hæc profectò colligitur, nihil fuisse omnia quæ transire potuerunt. Unde & rectè subditur:

\* al. increpationis.

*Quod ad flatum mortis quasi ad venti vehementis imperum, hypocritarum textura rumpatur. & hi qui crucem in angaria portant, Christo non commoventur.*

#### CAPUT XVII.

**E**t sicut tela araneorum fiducia ejus. Bene hypocritarum fiducia, araneorum telis similis dicitur.

Quij

citur, quia omne quod ad obrinendam gloriam exudant, ventus vitæ mortalis dissipat. Nam quoniam æterna non quærunt, bona temporalia cum tempore amittunt. Pensandum quoque est, quod fila aranæ per ordinem ducunt, quia sua hypocritæ quasi sub discretione opera disponunt. Aranearum tela studiosè textitur, sed subito venti flatu dissipatur: quia quicquid hypocrita cum labore peragit, aura humani favoris tollit; & dum in appetitu laudis opus deficit; quasi in ventum labor evanescit. Sæpe namque & usque ad præsentis vitæ terminum, hypocritarum facta perdurant; sed quia per hæc auctoris laudem non quærunt, bona ante Dei oculos numquam fuerunt. Plerumque enim, ut prædiximus, sacræ legis eruditione fulciuntur, doctrinæ verba proferunt, omne quod sentiunt, testimoniis accingunt; nec tamen per hæc vitam audientium, sed proprios favores quærunt: quia nec proferte alia noverunt, nisi quæ auditorum corda ad rependendas laudes excitent, non autem ad lacrymas accendant. Mens quippe concupiscentiis exterioribus occupata, igne divini amoris non calet; & idcirco ad supernum desiderium inflammare auditores suos nequeunt verba, quæ frigido corde proferuntur. Neque enim res, quæ in seipsa non arserit, aliud accendit. Unde fit plerumque, ut hypocritarum dicta & audientes non erudiant, & eosdem ipsos qui ea proferunt, elatos laudibus deterioribus reddant. Attestante etenim Paulo, *Scientia inflat, Charitas verò edificat. Quem enim charitas edificando non erigit, scientia inflando pervertit. Plerumque se hypocritæ mirâ abstinentiâ affligunt, omne robur corporis atterunt, & quasi carnis vitam funditus in carne viventes extinguunt, sicque per abstinentiam morti appropriant, ut pæne quotidie morientes vivant. Sed ad hæc humanos oculos quærunt, admirationis gloriam expetunt, Veritate attestante, quæ ait: Exterminant facies suas, ut appareant hominibus jejunes. Nam ora pallescunt, corpus debilitate quatitur, pectus interruptentibus suspiriis urgetur. Sed inter hæc, ab ore proximorum sermo admirationis quæritur, nihilque tanto labore aliud, nisi æstimatio humana cogitatur. Quos nimirum bene Simon ille significat, qui Dominicæ passionis tempore in angaria crucem portabat, de quo scriptum est: Invenit hominem Cyrenæum, venientem obviam sibi, nomine Simonem: hunc angariaverunt, ut tolleret crucem Iesu. Quod enim per angariam agimus, non hoc ex studio amoris operamur. Crucem ergo Iesu in angaria portare, est afflictionem abstinentiæ pro alia quàm necesse est intentione tolerare. An non Iesu crucem portat in angaria, qui quasi ad præceptum Domini, carnem domat, sed tamen spiritalem patriam non amat? Unde & Simon idem crucem portat, sed nequaquam moritur: quia omnis hypocrita corpus quidem per abstinentiam afficit, sed tamen per amorem gloriæ, mundo vivit. Quo contra per Paulum bene de electis dicitur: Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Cum vitiis quippe & concupiscentiis carnem crucifigimus, si sic gulam restringimus, ut jam de mundi gloria nihil quæramus. Nam qui corpus macerat, sed honoribus anhelat, crucem carni intulit, sed mundo per concupiscentiam pejus vivit: quia & sæpe per sanctitatis imaginem, locum regimini indignus assequitur, quem, nisi aliquid in se virtutis ostenderet, nullo percipere labore mereretur. Sed transit quod delectabiliter obtinet, & pœnaliter, quod sequitur, manet. Sanctitatis nunc fiducia in ore hominum ponitur: sed cum internus iudex secreta cordis examinat, testes vitæ exteriùs non quærit. Bene ergo dicitur: [Sicut tela aranearum fiducia ejus:] quia apparente cordis teste, præterit omne quod exteriùs de huma-*

no favore confidit. Unde & adhuc aptè subjungitur.

*Quod instabilis sit domus, quæ Christum non habet in fundamento: & quid sit, quod fatuæ virgines oleum mendicant.*

## CAPUT XXVII.

**I**n nititur super domum suam, & non stabit. Sicut domus exterioris conversationis, est ædificium quod inhabitat corpus: ita domus nostræ cogitationis, est res quælibet, quam per dilectionem inhabitat animus. Omnes quippe quod diligimus, quasi in hoc quiescentes habitamus. Unde Paulus, quia in supernis cor fixerat, in terra quidem positus, sed tamen à terra extraneus, dicebat: *Nostra conversatio in calis est.* Mens itaque hypocritæ nihil aliud in omne quod agit, nisi opinionis suæ gloriam cogitat, nec curat quod post per meritum ducitur, sed quid interim dicatur. Domus ergo ejus, est delectatio favoris, quam quasi quietus inhabitat: quia per cuncta sua opera ad hanc se intra animum reclinat. Sed stare domus hæc non valet: quia laus cum vita præterit, & humanus favor in iudicio non subsistit. Unde & fatuæ virgines, quæ oleum in vasibus non sumpserant, quia in alienis scilicet vocibus gloriam, & non in suis conscientiis habebant, turbata per sponsum præsentiam, dicunt: *Dare nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur.* Oleum quippe à proximis petere, est gloriam boni operis, à testimonio alieni oris implorare. Mens etenim vacua, cum cunctis suis laboribus nihil se intus tenuisse invenerit, testimonium foris quærit. Ac si aperit fatuæ virgines dicant: Cum nos repellere sine retributione conspiciatis, dicite in nostro opere quid vidistis? Sed frustra tunc hypocrita super hanc domum laudis innititur, quia nihil ei in iudicio attestatio humana suffragatur; quia eandem laudem, quam post in testimonium exigit, priùs in munere recepit. Vel certe super domum suam hypocrita innititur, cum vanis favoribus deceptus, quasi de fiducia sanctitatis elevatur. Multa quippe hypocritæ in occulto mala faciunt, quædam verò bona in publico. Cumque ex bonis patentibus laudes recipiunt, ab occultis malis considerationis oculos avertunt, talesque se æstimant, quales foris audiunt, non quales intus noverunt. Unde fit plerumque, ut ad supernum quoque iudicium cum fiducia veniant, quia tales se apud internum arbitrum credunt, quales ab hominibus foris habebantur. Sed stare domus hypocritæ non valet, quia in terrore districti examinis, omnis antea acta fiducia sanctitatis cadit. Cumque sibi oris alieni testimonia deesse cognoverit, ad sua se opera enumeranda convertit. Unde & adhuc subditur: [Fulciet eam, & non confurget.] Hoc namque, quod per se stare non valet, fulcitur ut stet: quia cum vitam suam hypocrita labefactari in iudicio conspicit, hanc fulciedo statuere operum enumeratione contendit. An non laudis suæ habitaculum hinc inde fulciant, qui acta sua, ut præfati sumus, in iudicio enumerantes, dicunt: *Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Sed domus laudis tot allegationibus fulta, minimè confurget, quia protinus iudex dicit: *Nunquam novi vos, discedite à me qui operamini iniquitatem.* Et sciendum est, quia hoc quod furgit, ab infimis ad superiora se erigit. Domus ergo hypocritæ furgere non valet: quia per omne quod juxta præcepta cælestia agere potuit, à terra nunquam animum levavit. Jure igitur tunc nequaquam ad præmium retributionis erigitur, quia per hoc quod nunc exhibet, in appetitu temporalis gloriæ jacet.

\*al. que. concur.

tela aranearum fiducia ejus: ] quia apparente cordis teste, præterit omne quod exteriùs de huma-

Quod illuſcente ſole juſtitia, ſecci erunt & aridi hypo-  
crite, qui virides videntur & humecti.

## CAPUT XXVIII.

33. **S**ED quia vita hypocrite ſcirpi appellatione ſi-  
gnata, qualiter in iudicio reprobetur audivimus:  
priuſquam diſtictus iudex appareat, qualis ab ho-  
minibus habeatur audiamus. Sequitur: [*Hume-  
ctus videtur antequam veniat ſol.*] Sæpe in ſacro elo-  
quio Dominus, Solis appellatione figuratur, ſicut  
per Prophetam dicitur: *Vobis autem qui timetis  
nomen Domini, oriatur Sol juſtitia.* Et ſicut repulſi  
in iudicio impij dicere in Sapientia libro deſcri-  
buntur: *Erravimus à via veritatis, & lumen juſtitia  
non luxit nobis, & ſol non eſt ortus nobis.* Ante ſolem  
igitur ſcirpus humidus cernitur, quia priuſquam di-  
vina diſtictio in iudicio candeat, omnis hypocrita  
inſuſum ſe ſanctitatis gratia oſtendat: quali virens  
aſpicitur, quia juſtus æſtimatur: honoris locum ob-  
tinet, de gloria ſanctitatis pollet, à cunctis veneratio  
deſertur, opinio laudis extenditur. Scirpus itaque  
iſte in nocte humidus eſt, ſole autem veniente ſicca-  
tur: quia nimirum hypocrita in tenebris vitæ præſen-  
tis, ſanctus ab omnibus creditur; ſed cùm diſtictus  
iudex venerit, quàm ſit iniquus apparebit. Dicit  
ergo: [*Humectus videtur antequam veniat ſol.*]  
quia virentem ſe nunc humanis oculis exhibet, ſed  
in calore tunc divini iudicij areſcet. Sequitur: [*Et  
in ortu ſuo germen ejus egreditur.*] Herba quælibet  
naſcendo priuſ è terra producit, aura & æſtibus  
tangitur, ſole ac plaviis nutritur: & tunc demum  
ad proferendum ſui feminis germen aperitur. Scir-  
pus verò cùm flore ſuo naſcitur, moxque dum à ter-  
ra furgit, ſui ſecum feminis germen producit. Bene  
ergo per herbas reliquas Sanctus quilibet, per ſcir-  
pum verò hypocrita deſignatur: quia juſti viri  
priuſquam in opere ſanctæ converſationis oriantur,  
hujus vitæ hiemem tolerant, eoſque gravium per-  
ſecutionum æſtus fatigant. Sed cùm recta faciunt,  
nequaquam hinc ſuæ rectitudinis remunerationem  
querunt. Cùm verò à præſentis mundi laboribus  
exeunt, ad æternam patriam venientes, expectata  
retributione perfruuntur. At contra hypocrita, quia  
mox ut in bono opere naſcitur, præſentis mundi re-  
cipere gloriam conatur, quali ſcirpi more cum ger-  
mine ortur. Qui pro eo quod bene vivere incipit,  
querit ſtatim, ut à cunctis honoretur. Germen ita-  
que in ortu, eſt remuneratio in inchoatione. Sæpe  
namque nonnulli aperte pravitate vias deſerunt,  
ſanctitatis habitum ſumunt, moxque ut prima limi-  
na bene vivendi contigerint, obliſi qui fuerint, affligi  
jam per penitentiam de conſummatis nequitiaſ nol-  
lunt: laudari autem de inchoata juſtitia appetunt,  
præſeſſe ceteris etiam melioribus concupiſcunt.  
Quos plerumque dum juxta votum præſens pro-  
ſperitas ſequitur, multò quàm priuſ fuerant, de ſan-  
ctitatis habitu pejores fiunt. Nam rebus multipli-  
cibus occupati, atque ipſa occupatione \* conſiſi,  
non ſolum perpetrata minimè deplorant, ſed adhuc  
quæ deplorentur exaggerant.

Quid ſit non operari in primogenito bovis, &  
lignorum auferri præputia.

## CAPUT XXIX.

34. **Q**UI enim mundum deſerunt, ad exteriora offi-  
cia provehi non debent, niſi per humilitatem  
diutius in ejuſdem mundi contemptu ſolidentur.  
Citius namque bona depereunt, quæ hominibus  
ante tempus innotescunt: quia & arbuſta plantata,  
priuſquam fixa radice coaleſcant, ſi manus concu-  
tiens tangit, arefacit. At ſi in altum radix figitur,  
& terræ humoribus conſperſa ſolidatur, hæc & ma-  
nus impellit, ſed non lædit: hæc & ventorum flatus

A inſectendo concutiunt, ſed non everunt. Ne ergo  
eruat vita cœpi operis, diu ac robuſtè in alto hu-  
militatis ſigenda eſt radix cordis: ut cùm ab hu-  
mano ore, detractioſis aura vel favoris flaverit;  
eſt in quamlibet partem utcumque incurvat, ani-  
mum funditus non evellat: ſed ad ſtatum ſuum  
protinus poſt inflexionem redeat, ſi apud ſe fortis  
in radice perdurat. Quid in rebus excreſcentibus  
pariete furgente robuſtius? Qui tamen ſi dum con-  
ſtruitur, impellatur, ſtatim ſine labore deſtruitur:  
ſi autem per ſpatium temporis ab humore ſuo exic-  
cari permittitur, ſæpe & arietum ictibus minime  
quaſſatur. Sic ſic videlicet bona noſtra & intempe-  
ſtivè manifeſta ta depereunt, & diutius occultata  
ſolidantur: quia humanæ occupationis manus cùm  
incipientem converſationis noſtræ vitam contige-  
rit, quaſi recentem parietem impellit, eamque fa-  
cile deſtruit, quia adhuc humorem infirmitatis  
propriæ non amiſit. Cùm verò in longa quietis ſuæ  
abjectione ſe animus comprimit, quaſi more exicca-  
ti parietis contra ictus obdureſcit, & conſtractum  
protinus reſilit omne quod ſolidum impactum fue-  
rit. Hinc eſt, quòd vitam inchoantium Moyſes hu-  
manis occupationibus exerceri prohibuit, dicens:  
*Non operaberis in primogenito bovis, & non tonde-  
bis primogenita ovium.* In primogenito quippe bo-  
vis operari, eſt bonæ converſationis primordia in  
exercitio publicæ actionis oſtendere. Ovium quip-  
pe primogenita tondere, eſt ab occultationis ſuæ  
tegmine, humanis oculis inchoantia bona opera  
noſtra denudare. In primogenito ergo bovis ope-  
rari prohibemur, atque à primogenitis ovium de-  
tondendis compellimur: quia eſt quid robuſtum  
incipimus, exercere hoc in aperto citius non debe-  
mus. Et cùm vita noſtra ſimplex quid atque inno-  
cum inchoat, dignum eſt, ut ſecreti ſui velamina  
non relinquat, ne nudum hoc humanis oculis quaſi  
ſubduſto vellere oſtendat. Ad ſola ergo divina ſa-  
crificia botum primogenita oviumque proficiant;  
ut quidquid forte, ſimplex, innocuumque incipi-  
mus, hoc ad honorem intimi iudicis, in ara cordis  
immolemus. Quod ab illo proculdubio tantò læ-  
bentiùs accipitur, quantò & ab hominibus occul-  
tatum, nulla laudis appetitione maculatur. Sæpe  
autem novæ converſationis primordia adhuc ex  
carnali vita ſunt commixta: & idcirco innotefce-  
re citius non debent, ne cùm laudantur bona quæ  
placent, deceptus laude ſua animus deprehendere  
in eis nequeat mala, quæ latent. Unde rectè rur-  
ſum per Moyſen dicitur: *Quando ingreſſi fueritis Lev. 19  
terram, quam ego daturus ſum vobis, & plantaveritis  
in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum. Po-  
ma quæ germinant, immunda erunt vobis, nec ede-  
tis ex eis.* Ligna quippe pomifera, ſunt opera vir-  
tutibus ſecunda. Præputia itaque lignorum auferi-  
mus, cùm de ipſa inchoationis infirmitate ſuſpecti,  
primordia noſtrorum operum non approbamus.  
Poma autem quæ germinant, immunda ducimus,  
noſtrisque eſibus non aptamus: quia cùm primor-  
dia boni laudantur operis, dignum eſt, ut hoc ani-  
mum non paſcat operantis; ne dum accepta laus  
ſuaviter carpitur, fruſtus operis intempeſtivè co-  
medatur. Qui ergo inchoatæ virtutis, ab humano  
ore laudem receperit, quaſi plantati ligni ante tem-  
pus pomum comedit. Hinc per Pſalmiſtam Veritas  
dicit: *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere, ſurgite pſ. 116  
poſquam ſederitis.* Ante lucem quippe ſurgere, eſt  
priuſ quàm claritas æternæ retributionis appareat,  
in præſentis vitæ nocte gaudere. Sedendum ergo  
priuſ eſt, ut poſt rectè furgamus: quia quiſquis nunc  
ſeſe ſponte non humiliat, nequaquam hunc ſe-  
quens gloria exaltat. Quod ergo illic ante lucem  
ſurgere, hoc hinc hypocrite in ortu eſt germen pro-  
ferre: quia humanas laudes deſiderans, ubi ad opus  
bonum naſcitur, ibi mox appetit, ut gloriam retri-

butionis assequatur. An non in ortu suo hi germen protulerant, de quibus Veritas dicebat: *Amant primos disubitus in conviviis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi?* Pro eo ergo quod bene agere incipiunt, quia honorem consequi ab hominibus conantur, quasi scirpi more ab ortu suo cum germine exurgunt. Hi nimirum cum recta operari appetunt, prius mente sollicita ejusdem operis sui testes quaerunt, & tacita cogitatione pertractant, si sunt qui gerenda videant, si dignè hæc eloqui, qui viderint, possint. Si verò eorum facta nullum fortasse hominum contingat aspicere, hæc se proculdubio æstimant perdidisse; & interni arbitri oculos quasi absentes deputant, quia ab eo vicem sui operis recipere in posterum recusant. Et quoniam cum rectum quod hypocrita egerit, videri à multis quaerit, bene adhuc de hoc scirpo subjungitur: [*Super acervum petrarum radices ejus densabuntur. & inter lapides commorabitur.*] Quid enim radicum nomine, nisi latentes cogitationes accipimus, quæ in occulto prodeunt, sed in ostensione operum per apertum surgunt, sicut & de verbi semine per Prophetam dicitur: *Et hoc quod salvatum fuerit de domo Iuda, & quod reliquum est, mittere radicem deorsum, & faciet fructum sursum.* Radicem quippe deorsum mittere, est cogitationem bonam in abditis multiplicare. Fructum verò sursum facere, est per efficaciam operis, recta quæ cogitavit, ostendere. Lapidum verò nomine in sacra Scriptura homines designantur, sicut sanctæ Ecclesiæ per Esaiam dicitur: *Ponam inspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos.* Qui eosdem lapides quid dixisset, aperuit cum subjungit: *Univerfos filios tuos doctos à Domino.* Et sicut admonente Petro Apostolo dicitur: *Et vos tanquam lapides vivi superædificamini domos spirituales.* Hoc itaque loco quia lapides dicti sunt, sed tamen vivi minimè dicuntur, nuda appellatione lapidum permixti possunt reprobi & electi figurari.

*Quod in suam destructionem laborant, qui nuntius regis Babylonis bona que agunt, quasi divitias congregatas ostendunt.*

## CAPUT XXX.

35. SCIRPUS itaque iste qui inter lapides commoratur, super acervum petrarum radices densat: quia omnis hypocrita cogitationes suas inquirenda hominum admiratione multiplicat. Per omne enim quod hypocrite faciunt, quia occultis cogitationibus laudes hominum requirunt, quasi radices scirpi in acervum petrarum mittunt. Operaturi quippe laudes suas cogitant, laudari autem has secum taciti in cogitationibus versant. Gaudent se præcipuos in humana æstimatione claruisse. Cumque inflati favoribus apud semetipsos intumescunt, sæpe mirantur taciti etiam ipsi quod sunt. Videri quotidie semetipsos altiores cupiunt, ac miris inventionibus in opere excrescunt: quia sicut virtus humilitatis omne vitium enervat, sic arrogantia roborat. Cogit namque mentem juvenescere, & contra vires valere: quia & quod negat vigor valetudinis, amor imperat laudis. Unde & factis suis, ut diximus, arbitros inquirunt. Si verò eorum operi testes deesse contingat, narrat ipsi quæ gesserint. Cumque efferrī favoribus cœperint, sæpe eisdem suis operibus, quæ egisse se referunt, mentiendo aliquid adjungunt. Cum verò & vera dicunt, hæc dicendo aliena faciunt: quia quæstis remunerati favoribus, ab eorum intima retributione vacuantur. In eo enim quod bona sua patefaciunt, ostendunt malignis spiritibus, quasi insidiantibus hostibus, quæ prædentur. Quorum profectò vitam illa cunctis notissima Ezechiæ culpa figuravit,

A qui postquam una prece, & sub unitis noctis spatio, centum octogintaquinque millia hostium Angelo feriente prostravit: postquam occasui proximum ad altiora cali spatia solem reduxit: postquam vitam propinquantem jam termino coartatam, in tempora longiora protelavit: susceptis Babylonicis regis nuntiis, bona omnia quæ possidebat, ostendit: sed Prophetæ voce protinus audivit. *Ecce dies venient, & auferentur omnia que in domo tua sunt: in Babyloniem non reliquetur quidquam, dicit Dominus.* Sic sic nimirum hypocrite, postquam magnis virtutibus excrescunt, quia cavere malignorum spirituum insidias negligunt, & celari in eisdem virtutibus nolunt, bona sua ostendendo, hostium faciunt: & prodentes subito amittunt, quidquid divitiis studentes operantur. Hinc per Psalmistam dicitur: *Tradidit in captivitatem virtutes eorum, & pulcritudines eorum in manus inimici.* Virtus quippe & pulchritudo arrogantium, inimici manibus traditur: quia omne bonum, quod per concupiscentiam laudis ostenditur, occultis adversarij juri mancipatur. Hostes namque ad rapinam provocat, qui suas eorum notitia divitias denudat. Quosque enim ab æternæ patriæ securitate disjungimur, per latronum insidiantium iter ambulamus. Qui ergo in itinere deprædari formidat, abscondat necesse est bona quæ portat. O miseri, qui affectantes laudes hominum, in semetipsis dissipant fructus laborum! cumque se ostendere alienis oculis appetunt, damnant quod agunt. Quos nimirum maligni spiritus cum ad jactantiam provocant, eorum, sicut diximus, opera captivantes denudant. Unde sub cujusdam gentis specie, antiquorum hostium malitiam signans, per Prophetam Veritas dicit: *Posuit vineam meam in desertum, decorticavit ficum meam, nudans expoliavit eam, albi facti sunt rami ejus.* Insidiantibus quippe spiritibus, Dei vinea in desertum ponitur, cum plena fructibus anima, humanae laudis cupiditate dissipatur. Ficum Dei gens ista decorticat, quia seductam mentem in favoris appetitum rapiens, quo hanc ad ostentationem pertrahit, tegmen ei humilitatis tollit; eamque nudans expoliat, quia quousque in bonis suis absconditur, quasi proprij tegminis cortice vestitur. Cum verò mens hoc quod egerit, videri ab aliis concupiscit, quasi expoliata ficus eum qui se texerat corticem amisit. Ubi aptè subditur: *Albi facti sunt rami ejus;* quia ostensa humanis oculis ejus opera candescunt, de sanctitate nomen sumitur, cum recta actio divulgatur. Sed quoniam subducto cortice, rami fici hujus arefcunt, solerter intuendum est: quia facta arrogantium, humanis oculis ostensa, unde placere appetunt, inde siccantur. Mens itaque quæ per jactantiam proditur, rectè ficus vocatur: quia & candida est per hoc quod cernitur, & siccari proxima per hoc quod tegmine corticis nudatur. Intus ergo sunt servanda quæ agimus, si ab interno arbitro vicem recipere nostri operis expectamus. Hinc est enim quod per Evangelium Veritas dicit: *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua; ut sit elemosyna tua in abscondito: & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Hinc est quod de electorum Ecclesiæ per Psalmistam dicitur: *Omnis gloria ejus filia regis ab intus.* Hinc Paulus ait: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientie nostræ.* Filia quippe regum Ecclesiæ, quæ in bono est opere spiritualium principum predicatione generata, gloriam intus habet: quia hoc quod agit in ostentationis jactantia non habet. Gloriam suam Paulus testimonium conscientie memorat, quia favores oris alieni non appetens, vitæ suæ gaudia extra semetipsum ponere ignorat. Occultanda sunt ergo quæ agimus, ne hæc in hujus vitæ itinere incautè portantes, latrocinantium spirituum incurfione perdamus: Et tamen Veritas dicit: *Videant opera vestra bona.*

bona, & glorificent Parrem vestrum, qui in caelis est. Sed aliud est profectò, cum in ostensione operis, gloria quaeritur largitoris, aliud cum laus privata concupiscitur de dono largientis. Unde & rursus in Evangelio hæc eadem Veritas dicit: *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Opus ergo nostrum cum hominibus ostenditur, in cordis prius examinatione pensandum est, per eisdem ostensionis studium quid quaratur. Si enim dantis gloriam quaerimus, etiam publica nostra opera, in conspectu illius occulta servamus. Si verò per hæc nostram laudem concupiscimus, foras ab ejus conspectu jam fusa sunt, etiam si à multis ignorentur. Sed valde perfectorum est, sic ostenso opere, auctoris gloriam quaerere, ut de illata laude privata neciant exultatione gaudere. Tunc solum namque innoxie hominibus laudabile opus ostenditur, cum per despectum mentis veraciter laus impensa calcatur. Quam quia infirmi quique perfectè contemnendo non superant, restat necesse est, ut bonum hoc quod operantur, abscondant. Sæpe enim ab ipso ostensionis exordio, propriam laudem quaerunt; sæpe verò in ostensione operis, auctoris patefacere gloriam cupiunt, sed excepti favoribus, in laudis propriæ cupiditatem rapiuntur: cumque semetipsos dijudicare interius negligunt, sparsi exterius ignorant quod agunt; eorumque opus suæ elationi militat, atque hoc se impendere obsequio largitoris putant. Scirpus ergo inter lapides commoratur, quia ibi hypocrita stat, ubi mentis suæ intentionem solidat. Nam cum attestationem percipere multorum ambit, quasi in lapidum collectione subsistit. Sed iste hypocrita scirpi appellatione signatus, cum corpus abstinentiæ domat, cum largiendo quæ possidet, studio pietatis exudat, cum notitiâ sacræ legis eruditur, cum verbo prædicationis utitur; quis hunc tanta plenum largitate conspiciens, à gratia æstimet largitoris alienum? Et tamen superna dispensatiolargitur huic dona operis, & sortem denegat hereditatis: operandi munera cumulat, & tamen vitam operantis ignorat: quia cum perceptum munus ad laudem propriam trahitur, in conspectu lucis intimæ umbrâ elationis obscuratur. Unde & bene subditur: *[ Si absorberis: eum de loco suo, ne gabit eum, & dicet: Non novi te.* De loco suo hypocrita absorbetur, cum à præsentis vitæ favoribus, morte interveniente, separatur. Sed hunc absorptum internus arbiter negat, seque eum necire denunciat: quia simulatores vitam justè reprobando Veritas ignorat, nec recognoscit ejus bona quæ egit, quia hæc ex recta intentione non protulit. Unde & fatuus virginibus in iudicium veniens dicit: *Amen dico vobis, nescio vos.* In quibus dum mentis corruptionem considerat, carnis etiam incorruptionem damnat. Sed utinam hypocritarum sua perditio sola sufficeret, & nequaquam perversa eorum studia ardentius alios ad vitam dupliciter instigarent. Hoc namque uniuscujusque proprium esse solet, ut qualis ipse fuerit, tales sibi conjungi & alios velit, diversitatem vitæ refugiat, atque hoc imitandum imprimat quod amat. Unde & apud hypocritarum sensum simplicitas omnis in crimine est. Apertas quippe mentes dijudicant, & puritatem cordis, hebetudinem appellant; omnesque quos sibi adherere cupiunt, à simplicitatis itinere divertunt; & quasi expulsa insipientia, eos erudisse se æstimant, in quibus puritatem mentis, id est, arcem sapientiæ debellant. Quia verò non solum ex sua perversitate hypocrita, sed adjuncta etiam sequacium perditione reprobatur, postquam non cognosci à iudice dicitur, rectè protinus subinfertur: *[ Hæc est enim latititia via ejus, ut rursus de terra alij germinentur.]* Ac si apertè diceretur: Veniente iudice, nequaquam cognoscitur, sed multipliciter supplicia recipit. S. Greg. Tom. I.

pit: quia eò latius in sua iniquitate lætatus est, quò & in aliis mala propagavit. Cui enim hic non sufficit iniquitas propria, torqueatur illic necesse est, etiam ex merito reatus alieni. Nunc itaque simulatores gaudeant, & humana judicia se obtinuisse gloriantur. Despiciatur justorum simplicitas: atque à calliditate duplicium fatuitas vocetur. Cui despectus simplicium transit, citius duplicium gloria percurrit. Unde & aptè subjungitur:

*Quid servi Dei, quorum vita nunc assumatur in sania, in novissimo ridebunt, quando introibunt in gaudium Domini sui.*

## CAPUT XXXI.

**D** *Eus non projiciet simplicem, nec porriget manum malignis.* Quia nimirum districtus in iudicio apparens, & despectum simplicium glorificando erigit, & malignorum gloriam reprobando confringit. Maligni enim vocantur hypocritæ, qui bona non bene faciunt, & recta quæ agere videntur, sub studio laudis operantur. Manum verò cui porrigimus, hunc videlicet ab imis elevamus. Malignus ergo Deus manum non porrigit: quia quaerentes terrenam gloriam in imo derelinquit, & quamlibet recta videantur esse quæ agunt, hos ad gaudia superna non provchit. Vel certè ideo maligni appellantur hypocritæ, quia benignitatem erga proximos ostendunt, & dolos suæ iniquitatis operiunt. Per omne namque, quod vel faciunt, vel loquuntur, simplicitatem exterius exhibent, sed subtilitate interius duplicitatis callent: puritatem superficie simulant, sed semper malitiam sub specie puritatis occultant. Quos contra bene per Moysen dicitur: *Non indues vestem ex lana linoque contextam.* Per lanam quippe simplicitas, per linum verò subtilitas designatur. Et nimirum vestis, quæ ex lana linoque conficitur, linum interius celat, lanam in superficie demonstrat. Vestem ergo ex lana linoque contextam induit, qui in locutione vel actione qua utitur, intus subtilitatem malitiæ operit, & simplicitatem foris innocentie ostendit. Quia enim sub puritatis imagine deprehendi calliditas non valet, quasi sub lanæ grossitudine linum latet. Bene autem post reprobatorum supplicia, justorum remuneratio demonstratur, cum protinus subditur: *[ Donec impleatur risu os tuum, & labia tua jubilo.]* Os quippe justorum tunc risu replebitur, cum eorum corda finitis peregrinationis fletibus, æternæ lætitiæ exultatione satiabuntur. De hoc risu discipulis Veritas dicit: *Mundus autem gaudebit, & vos tristes eritis; sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Et rursus: *Videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo auferet à vobis.* De hoc risu sanctæ Ecclesiæ Salomon ait: *Ridebit in die novissimo.* De hoc iterum dicitur: *Timenti Dominum, bene erit in extremis.* Non autem tunc risus erit corporis, sed risus cordis. Risus enim nunc corporis est de lascivia dissolutionis: nam risus cordis tunc de lætitia nascetur securitatis. Cum ergo electi homines implentur gaudio manifestæ contemplationis, quasi ad hilaritatem risus exiliunt in ore mentis. Jubilum verò dicimus, cum tantam læticiam corde concipimus, quantam sermonis efficaciam non explemus; & tamen mentis exultatio hoc quod sermone non explicat, ore sonat. Bene autem os risu impleri dicitur, & labia jubilo; quia in illa æterna patria, cum justorum mens in exultationem rapitur, lingua in cantum laudis elevatur. Qui quoniam tantum vident, quantum dicere non valent, in risu jubillant: quia non explendo resonant quod amant. Donec autem dicitur, non quòd omnipotens Deus eousque malignos non sublevet, quousque electos suos in jubilationis gaudia assumat, ac si post à pœna eripiat, quos ante in culpa deserens

R

damnat: sed quodd hoc nequaquam vel ante iudicium faciat, cum dubium hominibus videri possit, an fiat. Nam post electorum suorum jubulum, quia malignis manum non porrigat, ex ipsa jam distinctione ultimi examinis constat. Sic namque & per Psalmistam dicitur: *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Non quodd à dextris Domini nequaquam Dominus sedeat, postquam inimicos illius feriens, ejus potestati subfermit: sed quodd in aeterna cunctis beatitudine praesidet, & priusquam rebellium suorum corda conculcet. In qua nimirum constat, quia subjectis hostibus sine fine & posterius regnat. Sic per Evangelium de Mariae sponsulo dicitur: *Et non cognovit eam, donec peperit filium suum primogenitum:* non quodd hanc post nativitatem Domini cognoverit: sed quodd nequaquam illam contigit, etiam cum conditoris sui matrem esse nescivit. Nam quia eam contingere nequaquam valuit, postquam redemptionis nostrae ex ejus utero celebrari mysterium agnovit, de illo profecto tempore necesse erat, ut Evangelista testimonium ferret, de quo propter Joseph ignorantiam dubitari potuisset. Sic itaque nunc dicitur: *[Deus non projiciet simplicem, nec porriget manum malignis; donec impleatur visu os tuum, & labia tua júbilo.]* Ac si aperte diceretur: Vitam simplicium nec ante iudicium deserit, & malignorum mentes percutere deserendo, nec priusquam appareat praetermittit. Nam quia sine fine reprobos cruciet, & electi ejus in perpetuum postquam apparuerit, regnent, profecto dubium non est. Sequitur:

*Quod in die iudicii reprobi erubescunt, cum in illa mundi ruina quam vanè laboraverint, tunc demum intelligunt.*

## CAPUT XXXII.

**Q**ui oderunt te, induentur confusione. Justorum hostes in extremo examine confusio induit: quia cum transacta mala redundare sibi ante oculum os mentis aspexerint, suos eos undique reatus deprimens vestit. Ad poenam quippe tunc factorum suorum memoriam tolerant, qui nunc quasi à sensu rationis extranei gaudentes peccant. Ibi vident quantum debuerint fugere, quod amaverunt: ibi conspiciunt quam lugubre fuerit, quod nunc in culpa gratulantur. Tunc animum reatus obnubilat, & recordationis suae jaculis ipsa se conscientia impugnat. Quis igitur dignè penset, iniquorum confusio quanta tunc erit, quando & foris aeternus iudex cernitur, & intus ante oculos culpa versatur? Qui ad haec idcirco perveniunt, quia sola hinc transcuntia dilexerunt. Unde & aptè mox subditur: *[Et tabernaculum impiorum non subsistet.]* Tabernaculum quippe construitur, ut ab aestu corpus & frigore defendatur. Quid itaque hoc loco tabernaculi nomine, nisi aedificatio terrena felicitatis exprimitur, per quam super se reprobi casura multiplicat, ut se à praesentis vitae necessitatibus quasi ab aestu & imbris defendant? Honoribus namque excrescere ambiunt, ne despecti videantur. Terrena aggregando exaggerant, ne inopia frigore tabescant. Contemnunt curare quod sequitur: & tota intentione satagunt, ne quid in praesentibus desit. Student nomen dilatare, ne laeant: & si cuncta ad desiderium suppetant, munitos se in omnia & felices putant. Ubi ergo mentis habitationem construunt, ibi proculdubio tabernacula fixe-

**A** runt. Adversa impatienter perferunt, remissè in prosperis lætantur. Sola quae adfuit cogitant, nec ad affectum caelestis patriae ulla recordatione respirant. Gaudent sibi suppetere bona quae cupiunt; atque ubi carne requiescunt, ibi & mentem extinguendo sepeliunt: quia saecularis cura telo trucidati, terrenarum rerum aggerem, quem foris exquirendo multiplicat, hunc semper interius per cogitationem portant. At contra justi nec oblata bona hinc pro magno suscipiunt, nec illata mala valde pertimescunt: sed & cum bonis praesentibus utuntur, ventura mala metuunt: & cum de malis praesentibus gemant, bonorum sequentium amore consolantur: sicut temporali refouentur subsidio, sicut viator in stabulo utitur lecto, paulatim, & recedere festinat: quiescit corpore, sed ad aliud tendit mente. Nonnumquam verò & adversa perpeti appetunt, in transitorio prosperari refugiant: ne delectatione itineris, à patriae perventione tardentur; ne gressum cordis in via peregrinationis figant, & quandoque ad conspectum caelestis patriae sine remuneratione perveniant. Gaudent despici, nec dolent se necessitatibus affligi. Qui ergo contra praesentia se adversa non muniunt, quasi contra aestus & pluvias habere tabernaculum nolunt. Unde & Petrus jure reprehenditur, quia necdum mentis perfectione roboratus, veritatis claritate cognita, in terra figere tabernaculum conatur. Justi itaque hinc se construere negligunt, ubi peregrinos se & hospites noverunt. Quia enim in propriis gaudere desiderant, esse in alieno felices reculant. Injusti autem quanto longius ab aeternae patriae hereditate divisi sunt, tanto in terra altius fundamenta cogitationis figunt. Hinc est quodd ab ipso humanae conditionis exordio, in electa prole Enoch septimus nascitur. Hinc est quodd Cain primum filium suum Enoch vocat, atque ex ejus nomine civitatem quam condidit, appellat. Enoch quippe dedicatio dicitur. Iniqui ergo se in primordiis dedicant; quia in hac vita, quae ante est, cordis radicem plantant; ut hinc ad votum floreat, & à sequenti patria funditus arefcat. Ex justis verò Enoch septimus oritur, quia eorum vitae festa dedicatione in fine servatur. Hinc est quodd attestante Paulo, Abraham in casulis habitavit: quia habentem fundamenta civitatem, quam supernus artifex construxit, expectat. Hinc est quodd Jacob greges ovium sequens humiliter graditur, atque huic Esau obviam veniens, tumultu multiplicis comitatus elevatur: quia nimirum & electi hinc elationem non habent, & in bonis carnis reprobi læti tument. Hinc ad Israel Dominus dicit: *Si elegeris unum de populo terra, & constitueris principem super te, non facies tibi equos & equites.* Et tamen primus Rex ab eodem populo electus, repente ut culmen potestatis attigit, tria milia sibi equites elegit, in elationem protinus produit, ad aedificationem percepti culminis erupit: quia foris restringere sub aequalitate non poterat, quod intus animus super ceteros tumebat. Quasi munitum sibi dives ille tabernaculum construxerat, qui dicebat: *Anima, habes multa bona reposita in annos multos; requiesce, comede, bibe, & epulare.* Sed quia ejus tabernaculum in veritatis fundamento non subsistet, illico audivit: *Sulte, hac nocte reperunt animam tuam abs te: quae aurem parasti, cuius erunt?* Bene ergo dicitur: *[Tabernaculum impiorum non subsistet:]* quia vitae fugientis amatores, dum studiosè se in praesentibus construunt, repente ad aeternam poenam rapiuntur.

Psal. 109. a

Matt. 1. d

41.

Matt. 17. a

Marc. 9. a

Gen. 4. c

\* al. deo

dicio.

Heb. 11. b

Gen. 33. a

Deut. 17. c

1. Reg. 13. c

Luc. 22. c

Ibid.